ULTIMA VOX ZELATRICIS INNOCENTIAE INDIGNA PATIENTIS...

Eugenius : de Bruges



Digitized by Google



eca

Rom.

u

I
22
A

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

207.13.F.2



34.10.A.23,1

(sotto Lugenius
giusj) (f.)

450

Digitized by Google

Digitized by Google

ULTIMA VOX

Zelatricis Innocentiæ
indigna patientis

SIVE

LIBELLUS SUPPLEX

F. EUGENII BRUGENSIS
Sacerdotis Capucini,

AD

INNOCENTIUM XI.

Summum Pontificem.





COLONIÆ,
Apud H. JOANNIS HAMEL.
M. DC. LXXXIX.

Digitized by Google





Digitized by Google



ULTIMA VOX
Zelatricis Innocentiæ
indigna patientis

SIVE

LIBELLUS SUPPLEX
F. EUGENII BRUGENSIS
Sacerdotis Capucini,

AD

INNOCENTIUM XI.
Summum Pontificem.





SAnctiſſime Pater, dudum eſt, quod cogitans apud me, quî fieri poſſet, quod inter tantam Sacramentorum frequentationem, tot externâ devotionalia, tot & tam crebras Conciones; ſpiritus Chriſtianiſmi de die in diem viſibiliter diminueretur, quod nulla ferè

viva fides, nulla miſericordia & ſincera charitas inter homines vigeret; ſed omnes ſtatus & omnia hominum genera ſemper in pejus ruerent: Deo, Patre ſpirituum, uti credo, intellectum meum illuminante, luce meridiana clarius vidi omnium malorum & corruptelarum cauſam præcipuè provenire ex Jeſuitis. Cum autem viderer efficaciter moveri ut hoc toti mundo propalarem, duæ ad hoc occaſiones ſeſe obtulerunt. Prima fuit plagium per ipſos commiſſum in perſona Joſephi vande Walle, quem ſeductum clam abduxerunt ex matris viduæ domo, & habitu ſuo induerunt 31. Septembris 1684. Cum enim illa Matrona, ante mihi vix cognita, me ſuper conſilio capeſſendo Gandavi conveniſſet, pro ea compoſui motivum juris, in quo iſti Patres ſatis acriter vapulabant. Secunda occaſio & præcipua fuit editio libri ſummè peſtilentis; compoſiti per Ludovicum Maimbourg, qui pro titulo habet: *Traitté Hiſtorique des Prerogatives de l'Egliſe de Rome, & de ſes Evêques*; & qui ſingulariter ſcriptus eſt contra perſonam veſtræ ſanctitatis. Hic liber me tantoperè irritavit, ut non potuerim ultra cohibere calamum quin Societatis fraudes, technas, & occultas machinationes in ruinam ſtatus & Eccleſiæ tendentes, univerſo orbi manifeſtas facerem.

Oſtendi itaque primò, idque evidentiſ-

ſimè

ſimè, quod ipſi potiſſimum cauſa eſſent, quatenus deſiderium Regis Catholici, quod in initio regiminis ſui per epiſtolam ut videtur Spiritus Sancti digito ſcriptam omnibus ſuis Miniſtris & officialibus intimaverat de reſtauranda fideli juſtitiæ adminiſtratione, corruptelis & peccatis publicis corrigendis, & protectione pauperum contra violentam oppreſſionem potentum aſſumendâ, nullâ ex parte fuerit adimpletum. Nulli quippe ſunt qui corruptionem Moralem in Eccleſiam invexerunt, & uſque in hunc diem pertinacius defenderunt quàm Jeſuitæ: nulli ſunt magis Potentes à ſæculo, & qui majori violentiâ opprimunt omnes, quos ſibi vel in minimo adverſari credunt, quàm Jeſuitæ: nulli etiam magis reperiuntur injuſti: quia, cum juſtitia reddat unicuique quod ſuum eſt, illi uxores è ſinu maritorum, filios-familias è domo parentum, omnium ſubſtantias per furtivas vel ſaltem doloſè acquiſitas donationes & teſtamenta ſurripiunt, & omnium ſibi non devotorum reputationem proſcindunt, & promotionem impediunt per chymæricas hæreſes.

Oſtendi II. illos eſſe proditores Regis ac Regni Hiſpaniæ, & nihil niſi Monarchiæ illius occaſum per occultos cuniculos moliri. Hoc opus incepit P. Nitard, qui plus obfuit Hiſpaniæ paucis annis quibus regimen deſpoticâ quaſi authoritate tenuit,

quàm universa inimica arma integro sæculo, replendo scilicet à planta pedis usque ad verticem capitis omnia subsellia, dignitates, ministeria in tota dominatione personis Societati totaliter devotis, & cum ipsa æqualiter corruptis, id est, unicè quærentibus quæ sua sunt, non quæ Justitiæ, Regis aut reipublicæ, vel Dei; his autem alios ejusdem farinæ in locum demorientium continuò surrogantibus, jam non tantùm Hispanicæ Monarchiæ restauratio, sed & omnis pœnè reformatio impossibilis ferè judicatur. Hoc tamen non ita universaliter dictum velim, ut nullam omninò patiatur exceptionem, unicum restabat remedium, ut Rex ipse scilicet per se posset in cognitionem venire tam perversi regiminis, sed & viam illam occlusere duo Reginæ Hispaniarum Regentis Confessarii prædictus nempe Nitard & P. Moya, per quos factum ut Carolus II. minorennis, in spem tam vastæ & potentis monarchiæ natus, ad quam benè regendam ipsâ Salomonis Sapientiâ illi opus esset, educatus sit in totali ignorantia cognitionum & scientiarum tanto Monarchâ dignarum eique necessariarum: quod factum non esse docent secreta Societatis monita nisi ex præscripto Generalis, & totius, ut ita dicam, Societatis, quæ Henrico IV. Galliæ Regi jurejurando se pridem obligavit, quod relictâ Domo Austriacâ, seipsam imposterum Fran-

Digitized by Google

Francico intereſſe & dominationi promovendis fidele per omnia inſtrumentum præberet : & hoc punctum, per multas inſtantias, probavi religioſiſſimè à Jeſuitis hactenus fuiſſe obſervatum.

Oſtendi III. ipſos pariter eſſe proditores Imperatoris & Imperii, qui omnia ſecreta Aulæ iſtius Gallicis Miniſtris revelent, & nimis Ignatiando generoſiſſimum Leopoldum, illumque ſtimulando continuò, nimis acriter, & extra tempus contra Proteſtantes & Lutheranos, occultè conentur novis difficultatibus irretire, & reiteratis rebellionibus obruere.

Oſtendi IV. illos etiam eſſe proditores Romanorum Pontificum, qui cauſam Regaliorum tanquam pomum diſcordiæ projecerint inter Papalem & Gallicam Poteſtates, ut bellum irreconciliabile ſuſcitarent; in quem etiam finem nova adhuc quotidiè fomenta ſubminiſtrant. Item quod diverſis temporibus juxta mutationem proprii ipſorum intereſſe cum Pontificia infallibilitate inter ſe ludificerent : nunc ſatagente P. Annato per hunc ipſum modernum Franciæ Regem, clerum Gallicanum, & regium Parlamentum in Alexandro VII. illam in fidei punctum exaltando, non ſolum in fidei, ſed etiam in facti quæſtionibus; intantùm ut qui huic determinationi & compoſito deſuper captioſo formulari ſubſcribere detrectavere, perſecutiones,

 bono-

bonorum, dignitatum, ac beneficiorum jacturam, relegationes & carceres perpessi sint; usque ad claustra Monialium, quorum regimen susdeque eversum, sanctimoniales per alia monasteria dispersæ, carceribus intrusæ, excommunicatæ, & absque sacramentis mortuæ. Nunc verò vice mirabilissimè versâ, satagente P. de la Chaise ejusdem in individuo Societatis, per easdemmet in individuo potestates, eandemmet in individuo Pontificiam infallibilitatem in ipsissima persona tuæ sanctitatis taliter deprimendo, ut in qualibuscunque circumstantiis, nequidem in quæstionibus fidei, absque Concilio universali vel consensu Ecclesiæ ullo possibili modo locum habere queat: hancque sententiam prioris planè contradictoriam in duobus Conciliis Generalibus jam de fide definitam asserendo. Vah homines Versipelles, variabiles vel potius nullius fidei!

Ostendi V. idque clarissimè, quod admittendo omnia Ludovici Maimbourg principia & fundamenta, & eadem ipsa in Societatem retorquendo, incontestabiliter resultet. 1. Quod Jesuitæ, velint nolint, debeant subire voluntariam condemnationem, & sincerè fateri toti mundo, quod omnes ipsorum novitates in materia Morali, quæ propemodum infinitæ sunt, pessimæ morum sint corruptelæ; omnes ferè neophitæ opiniones in Theologia Scho-

Scholastica, sint errores & falsitates; omnes noviter inventæ sententiæ & ex unius privati scriptoris ingenio natæ, in materia fidei, sint formales hæreses.
2. Quandoquidem ipse Maimbourg sustineat declarationem Cleri Gallicani super prætensis Pontificiis prærogativis esse propriissimum medium ad Protestantes denuò ad Ecclesiæ gremium reducendos; ex illa stabilita præmissa hanc necessariam & prorsus innegabilem deduxi consequentiam: Jesuitas ergo propriè in causa esse, quòd hæretici illi ab Ecclesia recesserint, & tanto tempore in suo schismate pertinaciter hæserint: cum ipsimet Jesuitæ statim ab initio conditæ Societatis (quamvis tantùm ex mera politia) sese acerrimos istarum prærogativarum vindices semper ostenderint, & illas primi ad fidei Catholicæ dogmata evexerint.

Ostendi VI. Quod Jesuitæ per suam doctrinam Molinisticam, quæ in fundo rei non differt nisi aliquibus profanis vocum novitatibus à Pelagiana & Semipelagiana, Ecclesiam privare contendant suâ vitâ spirituali, id est medicinali & efficaci per se Gratiâ Christi Salvatoris: & quod etiam ipsum Salvatorem spolient sponsa suâ Ecclesiâ, utpote quæ secundum ipsorum sententias contradictorias diversis temporibus & locis ad puncta fidei elevatas, non sit amplius invenibilis.

Digitized by Google

VII. Prærogativas Papales, contra eundem Maimbourg, conatus sum pro virili defendere; non illas nimium extollendo, sicuti Curiales Romani ad instigationem maxime Jesuitarum plerumque faciunt, sed mediam, quam veritas & virtus tenent, tuendo viam; speciem accipe in illa odiosissima quæstione super dominio saltem indirecto summi Pontificis super temporale Regum. Non dico cum doctoribus, Romanis Canonistis, & Jesuitis adulatoribus, Papam, ex quacumque ferè causa, posse regna vel principatus ab uno in alium quasi pro lubitu transferre, subditos Sacramento fidelitatis absolvere, ac Reges & Principes excommunicare: scio vocem Christi esse: *regnum meum non est de hoc mundo*; vocem autem diaboli: omnia regnà terræ & gloria eorum mihi tradita sunt, & cui volo do illa; sed sustineo inter Principem & subditos haberi contractum ultrocitroque obligatorium; quo scilicet hi teneantur ad fidelitatem, amorem, & reverentiam, & in casu necessitatis bona temporalia, industriam & laborem, immò vitam & sanguinem pro defensione Regis ac Regni conferre; ille autem debeat subditis tuitionem boni communis, paternam curam & affectum, ac Justitiæ administrationem. Posito autem jam casu quod Princeps aliquis meram super subditos suos exerceat tyrannidem,

quod illos injustissimis & continuis exactionibus devoret, ingentes summas pecuniæ in meris superfluitatibus, deliciis, & luxuriis dilapidando, quod illos violenter conetur abstrahere à fide Catholica & hæresim suam profiteri, quod admonitus charitativè à præcipuis nobilibus, Ministris, Episcopis nolit resipiscere, quid faciet iste populus? ipsum occidere omni jure prohibitum est. Eligant jam Doctores Galli alternativam, & sedulò attendant cui sententiæ velint adhærere. Vel debent admittere illo casu subditos posse rebellare contra suos principes, seipsos viâ facti & absque ulla forma judicii Sacramento fidelitatis eximere, sese supra supremos suos Dominos in Judices erigere, illos publico edicto tyrannos declarare, & dominatione exuere: prout reipsâ in mitiori per omnia casu, cooperante, confortante, & instigante Francorum Rege, à statibus Hollandiæ contra Monarcham Hispaniarum legitimum suum Principem factum est: qui etiam Rex Galliæ primus illos pro justè in libertatem vendicatos tanquam liberam Rempublicam agnovit, & regiis legationibus honestavit. Vel certè licebit subditis, uti Maimbourg asserit factum in Imperatore Leone Isaurico, violenter Principi gladium, tamquam è manu furibundi, eripere: vel denique, ut idem ex Gallicis annalibus factum refert in Rege Childerico, licitum

erit Baronibus Regem ſuum parum habilem ad gubernationem Monarchiæ declarare, ejus capiti diadema detrahere & coronam clericalem tondere, & ejectum è Throno in Monaſterium detrudere, ac in ejus locum magis ſibi viſum idoneum ſurrogare. Quæ facta cum notoria ſint, ſi legitimè à ſubditis perpetrata judicentur, uti Galli ſuſtinere videntur, qui ſecundam Regum ſuorum familiam tali violentiâ in regnum intruſam pro veris ſuis Regibus agnoſcunt, & ex eadem vaſtas illas ſuas prætenſiones tanquam æquiſſimo jure fundatas deducunt, videant & ſagaci mente conſiderent, quales, quàm impiæ, quam horribiles,& pœnè parricidales contrà legitimos Principes inde exoriantur conſequentiæ; quas tam benè in ſeipſis deglutire deberent, quam dudum in aliis approbavere, juxta notam regulam: *quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, eodem ipſe utatur.*

Nonne profectò multò utilius, honeſtius, ac Regiâ etiam Majeſtate decentius foret, tales caſus ſpirituales facere, cùm maximè conſcientiam concernant, atque in iis ſupremum Eccleſiæ tribunal tamquam legitimum agnoſcere? ut ſcilicet Pontifex, delatis ad ſe à ſubditis contra Principes ſuos querelis, vel iiſdem clamoroſâ famâ auditis, ad inſtantiam partis læſæ, aut certè ex officio tamquam communis Chriſtianorum Pater, cui omnes ſaltem in ſpiritua-
libus

Digitized by Google

libus ſubditi ſunt, authoritate ſuâ taliter deviantes Principes ſemel iterum ac tertiò paternè admoneat; & ſi nulla ſequatur emendatio primas ſecundas & tertias comminatorias adjiciat; quod ſi ultimatè deſperetur reſipiſcentia, extremis tandem malis extrema applicet remedia, eadem ipſa ſcilicet, quæ in priori poſitione, etiam ab initio & contra omnem formam judicii ipſis ſubditis contra Principes ſuos conceduntur, judicent ſincerè, & non præoccupato faſtuoſis Monarchæ ſui idæis intellectu Galli, an non multò decentius fuiſſet Philippo II. Regi Hiſpaniarum ſuper prætenſis Hollandorum gravaminibus apud Tribunal Papale Juſtitiam ſuæ cauſæ tueri, quam à ſubditis ſuis publicè tyrannus declarari & principatu indignus judicari: & videant porrò an Proteſtantes in Gallia hoc ipſo tempore non habeant juſtiorem per omnia cauſam querelarum contra Regem ſuum quàm Hollandi præteritis habuerint temporibus; quorum cum factum approbaverint & legitimaverint Galliæ Reges, neceſſariò ſequitur quod condemnatoriam ſententiam jamdudum contra ſeipſos in moderno longè fortè peiori caſu proprio ore protulerint.

Omnes etiam Chriſtiani Reges tenentur defendere Eccleſiam, ſi ergo illam ſic etiam oppugnet aliquis ex eis, quis in eum animadvertet niſi ipſum caput Eccleſiæ?

Sic etiam in aliis prærogativis Pontificiis processi, Sanctissime Pater, in quibus forsitan aliqua erunt quæ non per omnia Romanis Curialibus arridebunt: nam, ut verum fatear, hoc habet S. V. cum Rege Galliæ commune, quod utriusque adulatores satis enormiter excedant, & dum utriusque potestatis ultra quàm par est conantur extollere, illam revera diminuant, immò subvertant & perdant. Quæ enim major fatuitas quàm illa Gallorum & imprimis Advocati Regii Talon in ejus nuperâ pomposâ oratione in Parlamento Parisiensi pro tuitione jurium Regalium habitâ, qua volunt longè præstantiores Regi suo deberi prærogativas, quàm omnibus aliis Regibus Christianis, quasi verò ejus persona vel corona forent præstantioris naturæ vel metalli quàm cæterorum. Sic illa insolens natio propter modicam prosperitatem arridentis modò sed nimis variabilis fortunæ (parce verbo) supra omnem modum intumescit, & in omnium Monarcharum despectum Regem suum quasi quoddam idolum ac Regum Regem, & dominantium dominum constituit. Quando etiam Sanctissime Pater Theologi & Canonistæ Romani totam Ecclesiæ authoritatem & infallibilitatem in sola persona Pontificis ponunt, & hoc non tantum de fide, sed & tamquam totius Christianæ fidei fundamentum (sicut fecit Jacobus

Lai-

Laines primus post S. Ignatium Societatis Generalis coram toto Concilio Tridentino) audent asserere, uno ictu authoritatem omnium Conciliorum, quam omnis antiquitas sacrosanctam habuit, & S. Gregorius Magnus Evangelicæ æquiparavit, prosternunt; necessitatem illorum convocandorum non tam veram quam derisoriam & deceptoriam constituunt; illa non amplius citanda pronuntiant, utpote ex sese nulla quoad infallibilitatem, sed ipsorum Confirmatores Pontifices ex quibus solis illam volunt profluere, V. G. S. Sylvestrum (si tamen confirmavit & præsedit) pro Concilio Nicæno, & sic de cæteris; illis non competere, quam tamen pleraque usurpavere, vocem illam Concilii Hierosolymitani VISUM EST SPIRITUI S. ET NOBIS definiunt, sed illam privativè summis Pontificibus, quâ tamen nullus hactenus uti ausus est, ascribunt: totam Ecclesiam Gallicanam hæreticam faciunt, utpote tenentem contradictoriam cum pertinacia. Vide Sanctissime Pater, quot & quantis brodiis tales Magistri nimis fortè prurientes auribus & S. V. & totam Ecclesiam involvant, medium ergo in his tenentem veritatem secutus sum, utinam & assecutus; quam equidem non ignoro defensoribus suis pro laborum præmio nihil plerumque nisi odium parere in præsenti sæculo; sed hoc parum referre judico, quan-

do-

doquidem eosdem tantò liberalius remuneret in futuro.

VIII. Denique quoad materiam Regaliorum totam Traditionem de essentia bonorum Ecclesiasticorum produxi, & juxta eadem fundamenta Ludovici Maimbourg ostendi impossibile esse aliquod in illis jus Regium competere, cùm nullo excogitabili modo, per aliquod interim, patrimonium Christi & pauperum possit transire in patrimonium Regis & divitum, & postmodum iterum in priorem statum redire. Cum autem Regii Ministri & Episcopi adulatores prætendant illud esse coævum & necessariò annexum Coronæ, intuli 1. non posse allegari causam cur in illo jure omnes Coronæ non essent pares. 2. inde necessariò sequi quod plurimi Episcopatus in Gallia tali juri non possint esse subjecti, cùm fuerint fundati antequam aliqua esset Corona Franciæ, vel aliquis ibi Rex dominaretur.

Multa alia sunt, Sanctissime Pater, quæ ego in libellis meis tractavi contra illam perniciosam ex magna parte Societatem, quæ omnia cum judicarem in defensionem Regis mei & Monarchiæ Hispanicæ, & potissimum in defensionem ipsiusmet vestræ Sanctitatis obligatum me esse ex jure naturæ & divino & ipsius Christianismi toto orbi propalare, clam eadem opuscula prælo subjicienda curavi: cum autem ultimum jam folium imprimeretur, omnia à Ministris

Re-

Regiis Jesuitarum asseclis detecta, ablata, & in judicium vocata sunt. Ego verò nihil moratus publico scripto rationem mei facti reddidi, meque statim obtuli ad probationem juridicam omnium in libellis meis contentorum apud qualemcumque judicem Jesuitico fermento non infectum. Sed hactenus non potui obtinere ut vel semel audirer, sed superiores mei ad declinandam tempestatem, quam toti Provinciæ imminere credebant, me in civitate Masecana diæcesis Leodiensis provisionaliter consignarunt honestæ custodiæ & per interim suspenderunt à divinis 27. Aprilis, 1686. contra quod hanc feci potestationem.

Ego F. Eugenius Brugensis Sacerdos Capucinus submitto me humiliter & propter Deum, provisionali dispositioni Reverendi Patris Sereni Trudonensis Commissarii ex parte R. P. Michaëlis ab Oudenbosch Provincialis Capucinorum Flandro-Belgicorum, circa causam libelli à me compositi & in tres partes divisi, cujus titulus DEN VERLEYDEN ENDE WEGHGEVOERDEN JOSEPH: *quamquam protester me in compositione, impressione, & evulgatione istius opusculi, nec excommunicationem nec aliquam pœnam incurrisse; sed è contra magnum servitium præstitisse Regi, Patriæ, & Ecclesiæ Dei, & opus maximè meritorium exercuisse.*

Super hoc sequentem ad me R. P. Provincialis scripsit epistolam. VEN-

VEN. PATER.

INtellexi jam à R. P. Sereno R. V. adhuc eodem modo constitutam, & tendere prosequi quod incæpit. Deberes certè, fili mi, compati matri tuæ Provinciæ nostræ, deberet quoque tibi magis esse cordi voluntas Superiorum tuorum pro conservatione Provinciæ desudantium & Regula quam vovisti, &c. Certè Zelus ille quo moveris, non est à Spiritu Sancto. Cùm decreverimus in hac causâ procedere secundùm exigentiam muneris nostri, scribat nobis quantocius an adhuc aliquid habeat ad sui defensionem mihi vel R. R. Patribus significandum. Item an desideret sibi concedi consiliarium & comparere coram nobis, &c. An verò renunciatis illis formalitatibus juris, reliquum causæ suæ relinquat judicio nostro. Mandavi quod auferretur à vobis calamus ad impediendas scriptiones & vobis, & nobis, & ipsismet amicis tuis, & toti Provinciæ perniciosas; non autem alias ad superiores tuos Majores & ad defensionem tuam necessarias. Sed unum rogo, ne litteris vel tibi non prosis, vel aliis obsis & noceas, ad hasce vestras expectaturus maneo, &c. Bruxellis 5. May, 1686.

Ad has autem in hunc modum respondi.

REV.

REV. PATER.

,, SI hoc judicium R. Pat. V. esset infallibilis veritatis, quod scilicet Zelus, quo moveri videor, non sit à Spiritu Sancto, possem intellectum meum captivare in obsequium fidei; sed quandoquidem humanum est, ac proinde errori obnoxium; illud mihi certis, evidentibus, & convincentibus rationibus persuaderi deberet, quarum magis capax sum quàm cujuscumque voluntatis Superiorum meorum, Divinæ in hac parte (juxta opinionem meam) non congruentis. Eodem planè modo olim judicarunt omnes Superiores Ordinis Minorum de actionibus P. Matthæi à Bassio super nostra Reformatione, quam tamen mordicus jam sustinemus à Spiritu divino profectam, inspiciatur ergò hîc prius factum, & justo judicio ponderetur an nullo modo possibili natum sit illud procedere ex instinctu divino, certum est quod in visibilibus & manifestis abusibus Ecclesiæ Dei, homines Zelosi identidem conquesti sunt super miserabili difformatione Matris suæ in filiis suis.

,, S. Bernardus Monachalem, id est, solitariam vitam professus perpetuo dicatam silentio, vir humilis & devotus,

,, &

,, & totus mellifluus; in amaros omninò
,, clamores, immò & tonitrua erumpit su-
,, per vita Episcoporum, quin & ipsius Cu-
,, riæ Romanæ. Nudè nuda loquor (inquit
,, ep. 42. ad Archiep. Senon.) *nec detego ve-*
,, *renda, sed inverecunda confuto, utinam*
,, *nobis reliquerint moderni Noë, unde à*
,, *nobis possent aliquatenus operiri: nunc*
,, *verò cernente orbe mundi fabulam, soli*
,, *tacebimus?* & ne objiciatur illum vi-
,, rum venerabilem omnibus, quoscum-
,, que intrepidè reprehendere potuisse:
,, *mihi indignatur, inquit, si vel nutum*
,, *facere audeo, jubetque ori manum im-*
,, *ponere, dicens me Monachum qui non*
,, *habeam judicare de Episcopis*, Serm.
,, 30. in cant. n. 8. Idem Sanctus indig-
,, nos sui temporis Episcopos fures & la-
,, trones: non tantùm mercenarios sed &
,, lupos vocat priores ipso judâ. de Conv.
,, ad Cler. c. 22. serm. 10. in cant. n. 3.
,, addit serm. 77. in cant. post init: *si*
,, *litteris forsitan mandentur ea quæ di-*
,, *cimus, dedignabuntur legere, aut si*
,, *fortè legant, mihi indignabuntur,*
,, *quamvis rectius sibi hoc facerent .....*
,, *utinam evigilarent pro semetipsis nec*
,, *sinerent de se dici: amici mei & proxi-*
,, *mi mei adversùm me apropinquaverunt*
,, *& steterunt, justa omninò querimo-*
,, *nia, nec ad ullam justius quàm ad no-*
,, *stram referenda ætatem.* Talia scrip-
,, sit,

,, sit, non S. Bernardus, sed Bernardus ,, Monachus, qualem se nominat, calumniis Episcoporum, Cardinalium, & ,, ipsiusmet Pontificis expositus, ab Innocentio II. *inustus & insignitus notâ* ,, *& nomine proditoris*; utimet queritur apud eundem Pontificem. ep. 213.

,, Judicare ergo deberet R. P. V. ex ipsa substantia libelli mei, an scilicet non ,, vergat in summam utilitatem Statûs & ,, Religionis, parem D. Bernardi dixero, ,, sententia illa: *amici mei & proximi* ,, *mei &c.* multò magis ad hanc ætatem quàm ad suam referenda est, dum ,, qui se privativè SOCIOS JESU dicunt, ,, Ecclesiam ejus sponsam charissimam & ,, mentes Christianorum ab ipso dislociant, tam per suam perversissimam ,, Moralem, quàm per ablationem supernaturalis vitæ, id est, gratiæ medicinalis Salvatoris. Hæc probantur obiter, sed tamen evidenter in isto opusculo: porrò signanter compositum est ,, ad refutandum Tractatum pestilentissimum Dni. materialis sed Jesuitæ formalis Ludovici Maimbourg contra modernum præcipuè Pontificem; quem ,, Authorem cum tota sua Societate nisus ,, sum proprio gladio confodere, dum ,, Jesuitæ, secundùm variationem proprii commodi & interesse; nunc prætensas Pontificias prærogativas, nunc il- ,, larum


BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

,, larum contradictorias tanquam dog-
,, mata fidei propugnant, per hoc osten-
,, dentes se variabiles aut potius nullius
,, fidei; idque tam benè in materia Statûs
,, quàm Religionis, dum anteà devoti
,, Domui Austriacæ, nunc illius prodito-
,, res, servitium suum Regi Galli addi-
,, xerunt.

,, Optarem igitur scire à R. R. Patri-
,, bus, posito quod Jesuitæ sint proditores
,, Statûs & Religionis, Pontificis & Ec-
,, clesiæ Dei; annon utrique Reipublicæ,
,, Ecclesiasticæ & sæculari, summoperè
,, expediret illud clarè demonstrari? certè
,, nisi vosipsi velitis aliqualis proditionis
,, notam incurrere, respondendum erit
,, affirmativè. Tota ergo nunc quæstio
,, ad hoc solum punctum devolvetur, hoc
,, non debuisse à me in individuo fieri,
,, sed à quibus? à judicibus fortè vel Mi-
,, nistris, Regiis aut Pontificiis? Quid
,, si illi omnes taceant, vel ignorantes,
,, vel quærentes quæ sua sunt non quæ
,, Reip, Regis, Pontificis, Ecclesiæ Dei;
,, vel certè obcæcati, vel fascinati, vel
,, venditi? Redibit (ut certò prævideo)
,, semper argumentum ad incapacitatem
,, personæ meæ ad opus tam arduum &
,, tam excellens, quod si miremini R. R.
,, Patres, quomodo possibile ut ego ta-
,, lis ad hoc particulariter à Deo potue-
rim eligi; non tantùm & ego miror,

,, verùm

Digitized by Google

,, verùm etiam obſtupeſco: quia non po-
,, teritis umquam tam contemptibilem
,, idæam de me formare, quin à meâ mi-
,, hi intimâ, & è corde meo inauferibili,
,, utpote radicatâ in fundo veritatis ipſâ
,, notiſſimâ mihi mea vilitate, longiſſimè
,, ſuperandam, nec propterea tamen ob-
,, ſtat, quin nihilominus potuerim ad
,, opus ſpecialiter à Deo deſtinari qui *eli-*
,, *git ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt de-*
,, *ſtruat.*

,, Et hoc poſito fundamento; cætera
,, omnia, quæ juris tantùm ſunt poſitivi
,, (quæ ſola vos in oculis habetis) ſuaptè
,, decidunt; ſicut plenius ex parva ſcripti-
,, uncula, quam hic volante calamo exa-
,, ravi, & jam abſque dubio ad manus ve-
,, ſtras pervenerit, cognoſcere poteritis,
,, quæ autem tam urgens ratio tantæ præ-
,, cipitantiæ in hac cauſa dijudicanda,
,, quam ego Regiam, & Pontificiam, &
,, ipſius Eccleſiæ facio, utpote illorum
,, defenſionem maxime concernentem?
,, videmini certè magis, quomodo invi-
,, diam illius facti, & obloquia Fratrum
,, & aliquorum hominum declinetis,
,, quàm juſtum judicium intendere.
,, Quaſi verò ego honorem à Provincia
,, abſtulerim, & pacem ejus turbaverim.
,, Sed R. R. Patres mei, quæſo *pacem*
,, *& veritatem diligite*, & honorem
,, maximum reputate pro veritate virili-

,, ter

,, ter decertare, &, si necesse, pati, vel
,, etiam mori.

,, Cæterùm pro *minimo mihi est ut à*
,, *vobis judicer*, quin & condemner;
,, Athanasius, Chrysostomus, & multi
,, alii olim judicati & condemnati sunt, &
,, Elias à Rege ut Perturbator, & Christus
,, ipse à Pontifice ut blasphemator audire-
,, re, *ideòque & nos tantam habentes*
,, *impositam nubem testium, per patien-*
,, *tiam curremus ad propositum nobis cer-*
,, *tamen.*

,, Quantum autem pertinet ad submis-
,, sionem quam desideratis, illam secun-
,, dum veritatem facere non possum: *im-*
,, *mò donec deficiam, non recedam in hoc*
,, *facto ab innocentia mea, & justifica-*
,, *tionem meam, quam cæpi tenere, non*
,, *deseram.* Non quod non satis com-
,, patiar (ut quidem autumat R. P. V.)
,, Matri meæ Provinciæ Vestræ, pro qua
,, tantoperè desudetis; sed quod magis
,, compatiar Ecclesiæ Dei viventis, com-
,, muni Matri omnium fidelium, pro qua
,, Christus mortuus est; cujus quantula
,, pars Provincia nostra?

,, Ego igitur reciprocè R. P. V. & om-
,, nes R. R. Patres conjuro, ut tandem
,, aliquando assumant spiritus dignos mi-
,, nisterio suo, si in aliquo deviavi à tra-
,, mite veritatis, non recuso qualecun-
,, que judicium; si non, in tam urgenti

,, ne-

Digitized by Google

,, necessitate Monarchiæ Hispanicæ, in tam
,, evidenti periculo Ecclesiæ Dei, propter
,, nescio quas prohibitiones Pontificias, in
,, quarum censuram vobis fortè videor in-
,, cidisse, mihi non videor à vobis debere
,, aut posse judicari: præsertim cùm jam
,, quasi ad tribunal regium, saltem in
,, scriptis meis stem, ubi me oportet ju-
,, dicari; eò magis, quandoquidem ad
,, defensionem opusculi mei contra Jesui-
,, tas me jam obtulerim. Expectate igi-
,, tur, quæso, quid Privatum Concilium
,, ex parte Regis, quid etiam ipse Illustris-
,, simus D. Internuntius ex parte Pontifi-
,, cis respondeant; antequam R. P. V.
,, cum R. R. P.P. Diffinitoribus personam
,, meam, tam benè & adhuc magis quàm
,, litteras meas, judicetis toti Provinciæ
,, perniciosam, non in tali tamen, sed
,, longè meliori qualitate maneo, &c. Ma-
,, secæ 8. Mai, 1686.

Sic causa mea, Sanctissime Pater, apud Nostros mansit in statu, interim Patres Societatis omnia media adhibuerunt apud D D. Consiliarios supremi Regii in Belgio Concilii, sicut etiam apud illustrissimum vestrum Internuntium, ut illud negotium, & qui ad illud contribuerant, rigorosissimè tractarentur, condemnatus est igitur D. Augustinus Fredericus vande Walle, qui plerosque sumptus ad impressionem subministraverat, ad mulctam 1500.

florenorum 18. Junii 1686. Typographus autem relegatus ex Belgio Hispanico pro triennio 7. Septembris : libelli per unam tantùm vocem Vulcanum & publicam infamiam evaserunt ; decretum, ut meliori quo possent modo supprimerentur.

Interim certior factus quod iidem libelli Romam delati essent ad Tribunal Sanctæ & Universalis Inquisitionis, & specialiter consignati in manus Eximii P. van Hecke., Ordinis Eremitarum S. Augustini, ut examinatione factâ (Flandricè nempe scripti erant) suum desuper judicium ferret : scripsi ad eundem virum 10. Octobris, & caussam meam, vel potius Regis Catholici, immò S. V. & Ecclesiæ, quantum potui, commendavi : responsum autem ab illo Româ recepi 16. Novembris, quod in mea sequenti ad illud replica videre licet.

EXIMIE AC AD. R. P.

,, AMantissimas vestras de data 16.
,, Novembris Roma scriptis, in
,, ergastulo meo 2. currentis op-
,, portune recepi: amantissimas appello,
,, ac pro talibus revera teneo; utpote ju-
,, dicans *meliora vulnera diligentis, quàm*
,, *fraudulenta oscula odientis.* Qualis-
,, cumque autem nos exitus Romæ ma-
,, neat, imperterriti illum expectabimus;
,, confitentes nos prosperum Deo debitu-
,, ros, tristiorem peccatis nostris imputa-
,, turos: causam certè non possumus, Je-
,, suitarum potentiam timere desinemus.
,, Apparet verò vel ex finali conclusio-
,, ne litterarum vestrarum, Exim. P. V.
,, mentem meam non satis percepisse,
,, oblationem enim istam 4000. floreno-
,, rum, non pro remissione adolescentis
,, ad parentes (quod in potestate sua non
,, esse Generalis allegat) sed pro ejus fina-
,, li & totali dote proposueram: pro qua
,, summa aliqui Generales antehac se con-
,, tentos tenuere, ad hoc requisiti per ali-
,, quos ex hisce partibus, hoc ego judicio
,, in hac rerum crisi vobis obtentu facilli-
,, mum. Deberet tantum Pat. V. isti
,, Generali vivaciter exponere, quantam
,, illud negotium causaverit oblocutio-
,, nem, cum in Gazettis Amstelodamen-

 ,, sibus,

,, sibus, jam crebrò apparuerit cum summo Societatis dedecore: quamquam probè ambo sciamus Jesuitas nullis amplius confundi infamiis, propter frontem in ipsa impudentia jam bis tinctam, & omnis ulterioris erubescentiæ prorsus insusceptibilem. Si Eximia P. V. super tali dote posset transigere pro redimenda seducti & abducti Josephi jam devolutâ, & imposterum devolvenda hæreditate, & omni ulteriori jesuitarum vexa; rem gratissimam toti familiæ præstiterit.

,, Quoad autem principale & me concernens negotium, epistolam Ex. Pat. V. in partes dividam, eique conabor articulatim pro modulo respondere, &, ut spero, satisfacere. *Dicit* 1. *doleo vices tuas & exilium à Provincia, sed causam dedisti, in tuis enim libellis agis apertè Jansenistam, accusans summos Pontifices, quasi excesserint suam potestatem decepti à Jesuitis, idque in causis fidei vel eidem annexis: quæ est communis istorum rebellium Apostolicæ Sedi cantilena.*

,, Agere, secundùm Philosophiam, præsupponit esse; ergo ego sum Jansenista; nisi obstaret vestra notio, nihil moror de nomine, cùm & illum titulum etiam modernus Pontifex apud Jesuitas obtineat, prout ipsemet declaravit R. Ad. P. N. Procuratori Generali;

„ li; sed esse Jansenistam, vel agere Jan-
„ senistam, juxta vestrum judicium, est
„ accusare summos Pontifices.

„ In spiritu humilitatis etiam atque
„ etiam rogo Exim. Pat. V., ut non sina-
„ mus aciem mentis nostræ obscurari ne-
„ bulis præjudiciorum; sed simul inten-
„ damus in nudam & sinceram veritatem,
„ quæ in terribili illo & inappellabili Jesu
„ Christi tribunali sola liberabit nos.
„ Certè numquam ego inveni nec legi in
„ aliquibus scriptis Jansenii, vel ejus præ-
„ tensorum discipulorum, quod fuerit
„ accusator, vel docuerit accusare sum-
„ mos Pontifices, sed benè quod tam ille
„ quàm hi impensè illos venerentur, Ze-
„ losè ament, ac strenuè defendant, tam-
„ quam veros ac summos Christi Domini
„ in terris Vicarios. Quod autem Pon-
„ tifices non sint exempti à deceptionibus
„ hominum fraudulentorum, tota Ec-
„ clesiastica Historia & quotidiana expe-
„ rientia clamant. Audi desuper loquen-
„ tem, non Jansenistam, id est, accu-
„ satorem summorum Pontificum, sed
„ humilem veneratorem, & ad Pontifi-
„ cem scribentem S. Bernardum l. 2. de
„ Consid. ad Eugen. Papam in fine: *Est*
„ *item vitium, cujus si te immunem sen-*
„ *tis, inter omnes quos novi ex his qui*
„ *cathedras ascenderunt, sedebis me ju-*
„ *dice solitarius, facilitas credulitatis*

" *hæc est, cujus callidissimæ vulpeculæ*
" *magnorum neminem comperi satis caviss-*
" *se versutias, inde eis ipsis pro nihilo*
" *iræ multæ, inde innocentium frequens*
" *addictio, inde præjudicia, in ab-*
" *sentes,* Nota benè.

" An autem summi Pontifices in causa,
" Jansenii fuerint reverà decepti, facti
" quæstio est, quæ ex deceptorum con-
" fessione, vel ex aliis exterioribus pro-
" bationibus merè dependet, quod Ur-
" banus VIII. fuerit deceptus, patet ex
" propria ipsius Bulla, quia expressè ca-
" verat & inhibuerat (sicut ipsemet De-
" putatus Ordinum Brabantiæ D.D. Sin-
" nichio, Papio, & Vercanteris 26. No-
" vembris 1643. declaravit) ne quisquam
" in illâ suggillaretur cum expressione
" nominis: cumque illi D. Sinnich repo-
" suisset, se mirari quomodo contra ta-
" lem appositam cautelam nomen Janse-
" nii irrepsisset in Bullam, replicavit
" Sanctissimus desuper agendum illis esse
" cum Prælato Albizzio ejusdem Bullæ
" compilatore.

" Quod Innocentius X. fuerit deceptus,
" ad oculum demonstratur ex ejus con-
" tinua & tam sæpè reiterata protestatio-
" ne Doctoribus Parisiensibus facta, quod
" non vellet ullo modo resumi vel agitari
" materiam de Auxiliis; in quem finem
" etiam audientiam Generali Domini-
ca-

,, canorum illam humillimè & instan-
,, tissimè plurimis viribus expostulanti de-
,, negaverit, constat autem 5. proposi-
,, tiones, secundum diversos sensus, per
,, tres columnas ipsi Pontifici per prædi-
,, ctos Doctores oblatas, descriptos, in
,, sese tamquam in nucleo continere,
,, quidquid Calvinus & Lutherus cum as-
,, seclis, quidquid Pelagiani & Molini-
,, stæ, & quidquid cum S. Augustino in
,, materia Gratiæ & annexis Catholica te-
,, net Ecclesia, audi quid desupér ante pu-
,, blicationem Constitutionis præfati
,, Pontificis dicat & exponat pro instru-
,, ctione Em. D. Cardinalis Roma in scri-
,, pto suo super I. propositione c. 2. ver-
,, satissimus & in Curia Romana, & in
,, doctrina Augustiniana R. P. Domini-
,, canus: *Versipelles Oratores* (inquit de
,, Deputatis Jesuiticis) *immò* (*quod in-*
,, *vitus & dolens dico*) *sacrilegi omni-*
,, *no sedis Apostolicæ deceptores, qui*
,, *mentiri audent Spiritui Sancto, & à*
,, *Cathedra Petri dum unum quid per spe-*
,, *ciem & apparentiam bonum petere se*
,, *simulant, aliud non bonum, nec um-*
,, *quam sciente & vidente Petro appro-*
,, *bandum, per fraudis iniquissimæ malas*
,, *artes jam non obtinere sed furari mo-*
,, *liuntur.*

,, Quòd Alexander VII. fuerit dece-
,, ptus, ex eo constat, quod liber Jan-

,, ſenii nunquam Romæ ritè fuerit exa-
,, minatus, & quod 1. propoſitio, à qua
,, cæteræ, etiam fatentibus Jeſuitis de-
,, pendent, quæ ſola in ipſius Auguſtino
,, in propriis terminis eſt invenibilis, de-
,, ſumpta ex c. 13. l. 3. de gratia Salvato-
,, toris, ſecundùm indubitata principia
,, doctrinæ Auguſtinianæ ab Eccleſia con-
,, ſecratæ, ad quam juxta omnes ſuas par-
,, ticulas ibidem expreſſè reducitur, ſit
,, Catholiciſſima, juxta declarationem
,, Emin. Cardinalis de S. Clemente, Jour-
,, nal de S. Amone parte 4. c. 11. & etiam
,, juxta judicium Sanctiſſimorum pariter
,, ac doctiſſimorum virorum tam ex Cle-
,, ro quàm omnibus Religioſis Ordini-
,, bus. Oſtendi quod in ſimili fuerit idem
,, Pontifex à Jeſuitis deceptus, juxta
,, proprium ipſius teſtimonium quo Bul-
,, lam ſuam incipit: *Cùm ad aures noſtras*
,, *devenerit* editam 25. Junii 1665. con-
,, tra Cenſuram Sorboniæ, adverſùs
,, Amadæum Guimenium, cujus dicit
,, *opiniones graviſſimorum Scriptorum*
,, *authoritate, & perpetuo Catholicorum*
,, *uſu niti*: quas tamen melius informa-
,, tùs modernus Pontifex 16, Septembris,
,, 1680. tamquam æternis gehennæ in-
,, cendiis pabula ſubminiſtrantes, tempo-
,, ralibus flammis præcepit exuri, fateor
,, autem quod obiter & uno verbulo inſi-
,, nuavi potiùs quàm perſtrinxi negligen-
,, tiam

Digitized by Google

,, tiam prædicti Pontificis, quòd in edenda Bulla talis momenti, & condemnatrice Censuræ talis Corporis totâ Europa celeberrimi, constantis tantùm uno aut altero folio, oculos non magis quàm aures consuluisset, per quos potuisset ad certam (quam tamen in bulla allegat) scientiam pervenire, inde à minori ad majus deducto argumento, præsumendum dixi, quod qui tantillum temporis in illius Censuræ lectione & examine non fuisset dignatus impendere, non consumpserit verosimiliter septimanas, & menses; immò annos in debitè peragendo, investigando, & enucleando tam vasto opere sicut est AUGUSTINUS CORNELII JANSENII, Apposui autem quod audiverim ex viro fide dignissimo, quem tamen non nominavi (sed is fuit Pastor in Leefdael vobis, ut puto, apprimè cognitus) qui idipsum mihi referebat ex proprio ore Eximii Patris V. Lupi attestantis quod Alexander VII. ipsi protestatus fuerat, illas ipsas 5. Propositiones totidem verbis se legisse in prædicto Jansenii libro in una & eadem pagina; quod certè sine apertissima deceptio- & istius libri falsificatione omnino fuit impossibile.

Eximia Vestra Pater, *Subdit hanc cantilenam esse communem istorum rebellium*

,, *Apostolicæ sedi.* Communitatem talium
,, rebellium ego nullam prorsus novi, sed
,, benè SOCIETATEM rebellium au-
,, thoritati Pontificiæ (quamquam nihil
,, aliud quàm ejus defensionem hypocri-
,, ticè cantent) qui non obstante quod
,, jam toties istum perduellem rebellionis
,, spiritum in Indiis & ubique terrarum
,, ostenderint, adhuc non tantùm in Cu-
,, ria Romana impuniti remanent, sed
,, & summas tenent; florent, & foven-
,, tur, non ad deponendam sed ad con-
,, firmandam suam rebellionem. Tales
,, ego novi, tales Ex. Pat. V. adhuc me
,, melius novit, tales Sancti Indiarum &
,, aliorum Regnorum Episcopi & Viri
,, præclarissimi sensere, & ipse modernus
,, Pontifex maximè expertus est, & por-
,, rò fortassis adhuc magis experiri coge-
,, tur, per tales rebelles & rebellionum
,, authores & fautores, cùm non ita pri-
,, dem in causa Regaliorum contra Apo-
,, stolicam Gallus cantaret Ecclesiam, di-
,, gnissimo Petri successori uberrimos (ut
,, ipsemet testatur) ex oculis fletus, inti-
,, mos ex corde gemitus, & miserandas
,, ex ore lamentationes excussit.

Eximia P. V. dicit 2. gloriaris in Oratio-
ne nova de S. Patritio, quasi sit confessio
1. propositionis in sensu S. Augustini &
Jansenii intellectæ. Sed erravit à vero sen-
su S. Augustini quisquis hunc commenta-

rium

Digitized by Google

rium edidit, certum quidem est ex S. Augustino quod quibusdam fidelibus & justis ex Dei actuali gratia volentibus & conantibus, aliquàndo desit ante aliqua gratia fortior necessaria ad servandum hoc vel illud præceptum, & idcircò orat Ecclesia & hujusmodi fideles & justi cum ea, ***ut quæ agenda nobis præcipis, te miserante adimplere possimus:*** sed ubi docet noster S. Doctor quod justis volentibus & conantibus, quantum ex præsenti Dei gratiâ datur, adeòque non ponentibus obicem ulteriori & efficaciori gratiæ recipiendæ, quod ipsis pro solò Dei lubitu negetur ista gratia petita qua præceptum possibile sit, adeòque gratia desit, qua possibile fiat? hoc non docuit Augustinus qui generaliter dixit: ***Quâ gratia*** (actuali & efficaci) ***ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.***

Ad hæc respondeo cum bona venia Ex.
,, Pat. V. & salvo semper meliori, quod
,, ista Oratio de S. Patritio apertissimè pri-
,, mam Jansenii propositionem in sensu
,, Catholico (sicut & ipse illam scripsit)
,, continet, ad illum quippe sensum per
,, singulas partes, advocatà in subsidium
,, totâ S. Augustini doctrinâ propositio-
,, nem illam prædicto l. 3. de gratia Sal-
,, vat. c. 13. perspicuitate mirabili deter-
,, minavit Jansenius: sicut in 3. parte me-
,, orum opusculorum ad oculum, ut pu-
,, to, & invictissimè probavi.

Digitized by Google

,, Inter nos certum est, illos fidelium
,, & justorum conatus & volitiones
,, (quandoquidem actiones bonæ sint)
,, non tantum per gratiam actualem, sed
,, & efficacem produci, ex Augustino au-
,, tem Doctore gratiæ irrefragabili, dis-
,, co 1. in justis & justissimis inesse carna-
,, lem concupiscentiam, *& corpus mor-*
,, *tis captivans illos in lege peccati, quæ*
,, *est in membris eorum*, Rom. 7. 23.
,, quam captivitatem etiam Ap. Paulus,
,, tam mirabili vocatione Vas electionis
,, factus, tantus gratiæ prædicator, Do-
,, ctor & Magister Gentium, qui plus
,, cæteris omnibus Apostolis laboravit &
,, passus est, in se deplorabat, & omnes
,, justi quasi quotidie experiuntur. Disco
,, 2. ex eodem Apostolo, & S. Augustino
,, fidelissimo ejus interprete: quod ab
,, isto concupiscentiæ dominatu non libe-
,, ret nisi gratia Dei per Jesum Christum
,, Dominum nostrum, dono Spiritus
,, Sancti per quem diffusa charitas in cor-
,, dibus nostris vincit concupiscentias car-
,, nales, ne consentiamus eis ad malè fa-
,, ciendum, sed potius bona faciamus.
,, l. 1. retract. c. 23. Disco 3. S. Augusti-
,, num quia propitio Deo Christianus erat
,, & Catholicus, firmissimè scivisse tam-
,, quam dogmata ad veram, & rectam,
,, & Catholicam fidem pertinentia: gra-
,, tiam istam ad singulos actus dari: item
,, non

,, non omnibus hominibus dari: item
,, quibus datur, miſericordiâ Dei gratui-
,, tà dari; & quibus non datur, juſto judi-
,, cio Dei non dari. Epiſt. 107. ad Vitalem.
,, Has veritates locum habere in juſtis
,, & ſanctis in ſingulis actibus, etiam par-
,, vis, etiam minimis, præceptis adim-
,, plendis, tentationibus ſuperandis, ex
,, illorum continuis gemitibus & aſſiduis
,, ad Deum præcibus convincitur, & ex
,, quotidianis ipſorum venialibus pecca-
,, tis, ſine quibus in hac mortalitate non
,, vivitur, evidens fit, & verò poteſt ac-
,, cidere, & indies accidit, ut ſancti &
,, ſanctiſſimi gratiam efficacem obtineant
,, ad magna & ardua, & tamen eâdem
,, deſtitutos ſe experiantur in minimis;
,, unde ſæpè in intimo cordis ſui confun-
,, duntur ſalubriter, & humiliantur uti-
,, liter, dicit quippe Auguſtinus, & hoc
,, magiſtraliter contra hæreticos, quod
,, qui gratiam Chriſtianam veraciter vult
,, confiteri, debeat talem confiteri, ut
,, omninò nihil boni ſine illa, quod ad
,, pietatem pertinet veramque juſtitiam,
,, fieri poſſe non dubitet. l. de gratia Chri-
,, ſti. c. 26. Quis credat Petrum, niſi
,, Scripturam teſtem haberemus, qui
,, tantum volebat & tantum conabatur, ut
,, ad carceres & ad mortem ſe paratum
,, poteſtaretur; inſuper ſacrâ Commu-
,, nione confortatus & tam longo Chriſti

„ sermone animatus erat; nequidem „ simplicem mulierculæ interrogatio- „ nem sine negatione Domini sui sustine- „ re potuisse? ut omninò verissima facta „ sit tam horrendo casu sententia Salvato- „ ris: *quia sine me nihil potestis facere:* „ Joan. 15. 5.

„ Si igitur ista gratia ad singulos bonos „ actus necessaria, & sine qua non pos- „ sunt fieri, & quæ non omnibus datur; „ ex misericordia detur, & ex judicio „ non detur: quis dubitet, posito quod „ illa hìc & nunc, ad hoc vel illud præ- „ ceptum adimplendum mihi non detur, „ quod simpliciter loquendo Augustinia- „ nis terminis, illud adimplere non „ possim, & quod sit adimpletione ef- „ fectiva mihi impossibile? hinc Augu- „ stinus necessariam istam gratiam ad sin- „ gulas virtutum Christianarum actiones, „ facit subjectum continuæ orationis per „ suum tam celebre Catholicis quàm odi- „ osum Pelagianis: DOMINE DA QUOD „ JUBES, ET JUBE QUOD VIS. l. 2. „ Conf. c. 29. Et, si alia documenta non „ essent (inquit) Dominica oratio nobis „ ad causam gratiæ, quam defendimus, „ sola sufficeret. l. de bono persf. c. 7. Et „ ipsa oratio clarissima gratiæ testificatio „ est. ep. 106. Cui accinctus Innoc. I. „ Nisi magnis precibus (inquit) gratia in „ nos implorata descendat, nequaquam ter-

Digitized by Google

„ terrenæ labis & mundani corporis vincere conabimur errores, cùm pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium : : . aliàs necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. Epist. ad Episc. Concilii Carthag. 91. apud August.

„ Ex his autem deduco quoad orationem istam de S. Patritio. I. quod per illam petamus aliquid quod de facto non habemus, nisi orationem nostram secundùm Aug. de grat. & lib. arb. c. 13. velimus facere VANISSIMAM: aut INANEM ET PERFUNCTORIAM. ep. 107. aut SUPERFLUAM, IMPUDENTEM, ET STULTAM. de nat. & grat. c. 18. in fine: aut certè IRRISORIAM. l. de bono persev. c. 2. deduco 2. quod fateamur gratiam illam, quam poscimus quia non habemus, non nisi DEO MISERANTE dari, sicut & judicante, justè denegari: quippe qui (non juxta meam vel Jansenii, sed Apostolicam sententiam Rom. 9. 18.) cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Deduco 3. Cùm in eadem oratione petatur possibilitas, cum effectu scilicet, adimplendi quæ nobis agenda præcipit Deus, quod hoc ipso fateamur nos illam non habere, & nisi obtineamus, miserante Deo, contentum illud ora-

,, orationis nostræ; illa quæ Deus præ-
cipit, nobis esse adimpletione activâ
,, positivè impossibilia. Aliàs frustra ju-
,, sti & sancti gemerent, quasi illam gra-
,, tiam non haberent; frustra peterent, si
jam haberent; nec peccarent (juxtà
,, nostram notionem efficacis per se gra-
,, tiæ) dum eam haberent.

,, Petit à me Ex. P. V. ubi doceat Ve-
ster Doctor quod justis, &c. ad hoc
,, Respondeo, de illa non positione obi-
,, cis, vel petitione gratiæ, nullam ne
,, minimam in 1. propositione, ut est
,, Jansenii, toto prædicto Cap. unde de-
sumpta est, fieri mentionem, quin
,, e contra, ex obligatione petendi gra-
,, tiam, concludit Jansenius, nos illam
,, non habere, per sententiam S. Augu-
stini à Concilio Tridentino canoniza-
,, tam: Deus impossibilia non jubet, sed
,, jubendo monet, & facere quod possis,
,, & petere quod non possis. de nat. &
grat. c. 43. & si congruenter petatur, ad-
,, jicit Jansenius, adjuvat ut possis, quis
,, enim dubitet gratiam petitam taliter ac
,, tantum, qualiter & quantum res tanta
,, petenda est, denegandam ab eo, qui
idipsum dedit ut eo modo peteretur,
,, quo infallibiliter impetraretur.

,, Radicalem autem obicem gratiæ in-
,, tra nosmet ipsos, scilicet concupiscen-
,, tiam omnium malorum radicem, ha-
bemus.

Digitized by Google

bemus, licet positivo aliquo actu obicem alium non ponamus: quia illa concupiscentia, quantum in se est, opponit se gratiæ efficaci, aliàs hæc incongruè & medicinalis & victrix appellaretur, nisi illam medendo, vel certè domando, an illa autem concupiscentia non semper agat, & qualiter agat, & unde agat, quandoquidem tam mira & infanda in nobis dormientibus, quin & subinde in vigilantibus, contra nostram etiam voluntatem, aliquando peragat (quæ tamen nihil damnationis inferre (dicit Apost) iis qui sunt in Chtisto Jesu, Rom. 8. 1.) optarem vehementer quod æquè sensum sicut captum superarent, utrum verò carnalis ista concupiscentia, miserabilis reliquia peccati originalis, sola possit dare Deo causam non conferendi ulteriorem gratiam, necessariam ad adimplenda præcepta fideli & justo, imperfecte per actualem gratiam conanti & volenti; vel utrum hoc fiat in pœnam peccatorum mortalium præteritorum, quoniam scriptum est. Eccl. 5. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu; vel an ob sola peccata venialia, sine quibus nullus justus vivit: vel quare non properet Deus educere omnes justos de medio iniquitatum eo tempore quando ipsi placitæ nobis videntur animæ eorum:

Digitized by Google

„ rum: ignorantiam meam cum Augu-
„ ſtino libenter fatebor, unum ſcio quod
„ terribilis eſt Deus in conſiliis ſuper fi-
„ lios hominum. pſ. 65. 5. & quod Apo-
„ ſtolus allegans cauſam, quare debeamus
„ cum metu & tremore noſtram ſalutem
„ operari: quia (ut ſcribit non ſolùm ju-
„ ſtis, ſed & ſanctis, & Diaconibus &
„ Epiſcopis) Deus eſt qui operatur in
„ nobis & velle & perficere pro bona vo-
„ luntate. Philipp. 2. 13. quæ ſententia
„ ſingulis quibuſque actibus ab Auguſtino
„ adaptatur. Quod autem illum adjuvet,
„ inquit, illum non adjuvet; illum tan-
„ tum, illum non tantum; iſtum illo,
„ illum iſto modo: penes ipſum eſt &
„ æquitatis tam ſecretæ ratio, & excel-
„ lentia poteſtatis. l. 2. de pec. merit. &
„ rem. c. 5. in fine. Quocirca quod à Deo
„ nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc
„ eſt voluntas mala; quod verò ad Deum
„ nos convertimus, niſi ipſo excitante &
„ adjuvante non poſſumus & hæc eſt vo-
„ luntas bona: quibus hanc donare vo-
„ luerit ejus miſericordiæ eſt, non meriti
„ illorum; quibus autem noluerit, veri-
„ tatis. ibid. c. 18. Ex duobus parvulis
„ (dicit idem S. Doctor de bono perſev.
„ c. 9.) originali peccato pariter obſtri-
„ ctis, cur iſte aſſumatur, ille relinqua-
„ tur; & ex duobus ætate jam grandibus
„ impiis, cur iſte ita vocetur, ut vocan-
tem

Digitized by Google

tem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur: inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic detur perseverantia usque in finem, illi autem non detur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Quibus ego addo: de duobus pariter volentibus & conantibus justis, cur illi detur ulterior gratia necessaria ad adimplendum hic & nunc divinum præceptum, qui tamen posteà casurus est & in æternum damnandus; & huic non detur, cui dabitur postmodum gratia resipiscentiæ, & qui in æternum salvabitur: inscrutabilissima sunt judicia Dei.

Aliàs, Eximie Pater, (indulgeat quæso quod tam fiducialiter secum agam) quandoquidem vestra solutio in talibus facilitatem nimiam importet, meritò suspecta videri potest, quid enim facilius in duobus pariter volentibus & conantibus justis, quàm dicere: ille posuit obicem ulteriori gratiæ efficaci recipiendæ, ille non posuit; ille ipsam gratiam pettivit, iste non? non video hîc inscrutabiliora, immò nequidem in ullo inscrutabilia judicia Dei, sed si ulterius petatur; per quid aut quomodo ille non posuit obicem gratiæ, & illam petivit; ille posuit, nec petivit? nonne necessariò iterum intervenire debet gratia non positionis obicis, & petitio-

nis

„ nis? & sic quæstio redit in idem. Confiteamur ergo tam veraciter quam humiliter, quia post peccatum primi hominis nihil discerint inter homines nisi gratia gratuita Dei per Jesum Christum Dominum nostrum; quam ad singulos actus dari (inter quos non illi ponere obicem, & illam petere procul dubio recensendi sunt) tamquam fidei dogma à S. Augustino, approbante Ecclesiâ, traditum, & ab ipso Apostolo revelatum est: qui, ut humanam superbiam retunderet, non nisi per gratiam Dei, tribuendam pro sua bona voluntate, nec actum humanæ voluntatis bonum, nec vel piam appellationem Nominis Jesu, denique nec aliquam vel minimam bonam cogitationem nobis tamquam ex nobis concessit. Fateamur, inquam, ingenuè cum Apostolo quia omnis sufficientia nostra ex Deo est, & in illo solo gloriemur. Certè ignorantia & infirmitas (quæ etiam in justissimis tamquam pœnæ originalis peccati ad continuum ferè certamen remanent) vitia sunt quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum, ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est; quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut

non

„ non adjuventur, in ipsis itidem causâ „ est, et non in Deo (sicut Ex. V. Pat. „ bene allegavit, sed absque oppositâ hac „ peremptoria quæstionis nostræ ratione) „ sive damnandi prædestinati sint propter „ iniquitatem superbiæ; sive contra ip- „ sam suam superbiam judicandi & eru- „ diendi, si sint filii misericordiæ &c. l. 2. „ de pecc. mer. & remiss. c. 17.

„ Dicit 3. Eximia Pat. Vestra: juxta „ autem Jansenium & primos ejus disci- „ pulos Fromundum, Sinnichium & alios „ qui adhuc ambulant, Deus talibus ju- „ stis, ex se volentibus & conantibus, „ sæpè, dum vult, gratiam omnem ne- „ gat, & datam subtrahit, adeòque sub- „ tractione gratiæ aperit ostium, quo de- „ pravata voluntas, in peccatum ruat, ut „ impiè quidam de Deo loquitur, hunc „ perversum sensum Jansenii damnarunt „ Pontifices, & omnis Catholica Ecclesia „ justè damnatum credit: & qui non cre- „ dit, damnatus est Jansenista.

„ Benedictus Deus! quod tandem ali- „ quando sciamus præcisum sensum Jan- „ senii in quo propriè damnata est 1. pro- „ positio, à qua cæteræ dependent, sed „ quando lego & relego, & totas ingenii „ vires exerceo in perscrutando & peni- „ tius investigando illo prædicto cap. 13. „ ex quo ista propositio eruta est, ut ubi „ ejus sensûs præcipue & unice debe-

rer

„ ret agnoſci ; ne hilum quidem ta-
„ lis ſenſûs invenio, ſed planè contra-
„ rium : nec etiam Jeſuitæ cum aſſeclis
„ ſolicitaverunt umquam condemnatio-
„ nem talis ſenſûs, ſed per omnes ſuas ma-
„ chinationes, & emendicata totâ Euro-
„ pâ ſuffragia, ac Potentatum auxilia
„ (abſque eo quod intrinſecus latuit) ni-
„ hil aliud intenderunt quàm ſtabilire gra-
„ tiam ſuam Moliniſticam cum ruina ve-
„ ræ gratiæ Salvatoris, ſicut tunc ſatis
„ Pontifici Innocentio X. expoſitum fuit,
„ & nunc de facto cum dolore conſpici-
„ mus, ita ut ſecundùm veſtrum hunc
„ ſenſum 1. propoſitionis, æqualis igno-
„ rantiæ partes litigantes inſimulentur :
„ ut neque Jeſuitæ ſciverint quid intende-
„ rent, neque Doctores Pariſienſes quid
„ defenderent : vel certe longo poſt tem-
„ pore inventa ſunt tantummodo perſpi-
„ cilia, quibus legendus eſſet AUGU-
„ STINUS JANSENII.

„ Per illam quippe propoſitionem, ejuſ-
„ demque apud Auguſtinum indubitata
„ fundamenta, nihil aliud intendit Jan-
„ ſenius quàm debellare ſuperbam gra-
„ tiam Sufficientem Moliniſticam, omni-
„ bus ſemper & ubique communem
„ quam Eximia Pat. V. ſe æque deteſtari
„ profitetur ; cum ergo diſcipulus non ſit
„ ſupra Magiſtrum ; & ipſemet Janſenius
„ tali notione numquam fuerit iſte tam
„ odi-

„ odiosus in Romana Curia factus Jansenius, sed præclarus & Zelosus contra „ hæreticos Romanæ Ecclesiæ fidei defensor; nullum realem Jansenistam, sed „ chymæricos tantùm & imaginarios hæreticos in tota Christianitate reperiet; & „ summos Pontifices per Jesuitas delusos „ vel deceptos merum debebit vel invitus „ confiteri, congratulamur ergo unanimiter Summo Pontifici Universalis Ecclesiæ Pastori, quod tandem per vestram declarationem præcisi sensûs, in „ quo propositio ista damnata est, invenerit oves quas fortè periisse perperam crediderat.

„ Quomodo enim Jansenius affirmet; „ Deum negare omnem justis volentibus „ & conantibus gratiam, qui in ipsis de facto & habitualem, quia justi; & „ actualem, quia conantes & volentes, „ licet ad imperfectè tantùm & non tam „ fortiter volendum & conandum, ut „ præceptum effectivè adimpleatur, vel tentatio superetur agnoscit? quomodo „ Jansenius dicat Deum jam datam gra- „ tiam subtrahere, cum eo casu nec vel- „ lent nec conarentur: & etiam desuper ne quidem per umbram vel quæstio vel „ ulla mentio incidat? (Quomodo denique Jansenius Deum, per talem subtractionem gratiæ, ostium aperire, „ quo depravata voluntas in peccatum ruat;

„ ruat; quod non esset aliud quàm facere Deum causam, etiam positivam peccati? Illustrissimus certè Jansenius in doctrina incomparabilis Augustini melius versatus erat quàm talem effutire blasphemiam: proinde, si ille tantùm sensus præcisè damnatus est, tota Jansenii doctrina manet intacta, quæ ab illo sensu non minus differt, quàm doctrina S. Augustini, cujus *inconcussa tutißimaque dogmata* Alexander VII. non ita pridem agnovit, argumenta hinc eruenda, utpote Curiæ Romanæ odiosa, in qua impræsentiarum adhuc nimium fætet vel solum nomen Jansenii, Eximiæ Pat. V. relinquo.

„ Cæterùm quæstio in illa 1. propositione, in hoc punctum apud Jansenium ejusque prætensos discipulos propriè & unice consistit: an Deus (sicut Molinistæ tradunt) ut non dicatur impossibilia præcipere, det omnibus & singulis justis, volentibus & conantibus (illi hoc etiam ad infideles & injustos, immò ad obduratos & excæcatos extendunt) in quacumque rerum dispositione, semper & ubique, gratiam omnem necessariam, quâ, adhibito tantum libero voluntatis arbitrio, à cujus nutu istam gratiam cum Pèlagianis volunt dependere; quæcumque præcepta adimplere & quascumque tentatio-

,, tiones ſuperare valeant, negativam
,, partem ſuſtinet Janſenius cum hoc in-
,, vincibili argumento, quia hoc dato,
,, tota ſuſdeque rueret doctrina Auguſtini,
,, humilitas Christiana, neceſſitas oratio-
,, nis, & diſcretio gratiæ & prædeſtina-
,, tionis: & cum Janſenius cum tota Au-
,, guſtiniana & Thomiſtica Schola ſuſti-
,, neat gratiam dantem talem actum &
,, victoriam, non poſſe eſſe aliam niſi
,, ipſiſſimam Chriſti Salvatoris medicina-
,, lem, & efficacem per ſe gratiam; fa-
,, ciendo ſic illam omnibus omninò ho-
,, minibus communem, nullus ſemel ju-
,, ſtificatus de ſtatu gratiæ & de Juſtitia
,, ſemel accepta umquam excideret, om-
,, nes infideles & peccatores quamtumvis
,, obdurati & excæcati infallibiliter conver-
,, terentur, &c.
,, Juſti (inquit S. Auguſt. l. 2. de pec.
,, merit. & rem. S. 4.) deprecantur adju-
,, torium Dei, dicentes: *& ne nos infe-*
,, *ras vel inducas in tentationem*, non
,, quod Deus tali tentatione aliquem ten-
,, tet, nam *Deus intentator malorum eſt,*
,, *ipſe autem neminem tentat*; ſed ut ſi
,, fortè tentari cœperint à concupiſcentia
,, ſua, adjutorio ejus non deſerantur, ut
,, in eo poſſint vincere ne abſtrahantur il-
,, lecti: conantur ergo, & Deum arden-
,, ter deprecantur, ſimul & intelligentes
,, (Nota benè) & quod ſic conantur, &

,, quod sic deprecantur, dono illius ipsos
,, habere: ut in omnibus non ad se respi-
,, cientes, sed sursum cor habentes Do-
,, mino Deo suo gratias agant, & cùm
,, gloriantur, in illo glòrientur.
,, Sed mecum quæso, Eximie Pater,
,, parumper perpendas, quot spirituales
,, animæ sint ab omni humana conversa-
,, tione remotæ & Monasteriis inclusæ,
,, quæ destitutæ, nullà data excogitabili
,, causa, omni sensibili devotione, in ari-
,, ditate, nauseà, stupore mentis, &
,, quadam quasi insensibilitate, plangant
,, & lamententur, se à Deo desertas &
,, penitus derelictas, quot sunt, quæ
,, phrasi Thomæ à Kempis Exilium cor-
,, dis sui sustineant, quæ sibimet ipsis di-
,, cant: quare tristis es anima mea, &
,, quare conturbas me? Ps.42.6. Et Deo:
,, in terra deserta, & invia, & inaquosa,
,, sic in sancto apparui tibi? Ps.62.3. Ip-
,, se Psalmista, procul dubio tunc tem-
,, poris justus cùm in abundantia charis-
,, matum divinorum & consolationum
,, cœlestium exclamaret: non movebor
,, in æternum: neque hanc gratiam sibi
,, attribuens sed Deo: Domine, inquie-
,, bat, in voluntate tua præstitisti decori
,, meo virtutem: & tamen, nullâ allega-
,, tâ ad hoc causâ, subjungit: avertisti
,, faciem tuam à me, & factus sum con-
,, turbatus, secretum tamen videtur tan-
gere

Digitized by Google

„ gere, dicens: ad te Domine clamabo,
„ & ad Deum meum deprecabor: quæ
„ utilitas in sanguine meo, dum descen-
„ do in corruptionem? Ps. 29. 7. & seqq.
„ Undenam amorosæ illæ & flebiles
„ querelæ animarum taliter desertarum,
„ & insuper cum fundo impenetrabili
„ corruptionis originalis tam mirabiliter
„ quam miserabiliter conflictantium; ubi
„ abyssus abyssum invocat in voce catara-
„ ctarum divinarum? Ps. 41. 8. unde-
„ nam isti gemitus inenarrabiles: salvum
„ me fac Deus, quoniam intraverunt
„ aquæ usque ad animam meam, infixus
„ sum in limo profundi, & non est sub-
„ stantia: veni in altitudinem maris, &
„ tempestas demersit me, Ps. 82. 2. 3. ex-
„ urge, quare obdormis Domine? ex-
„ urge, & ne repellas in finem, quare
„ faciem tuam avertis, obliviosceris ino-
„ piæ nostræ & tribulationis nostræ?
„ Ps. 43. 23. 24. quare posuisti me con-
„ trarium tibi, & factus sum mihimet
„ ipsi gravis? cur non tollis peccatum
„ meum, & quare non aufers iniquita-
„ tem meam? Job. 7. 20. 21. Clamo ad
„ te, & non exaudis me; sto, & non
„ respicis me, mutatus es mihi in crude-
„ lem, & in duritia manus tuæ adversa-
„ ris mihi: Job. 30. 20. 21. iratus est
„ contra me furor ejus, & sic me habuit
„ quasi hostem suum, 19. 11.

Digitized by Google

Tales sunt voces, Eximie Pater, animarum specialiter à Deo electarum, quæ vident opera Domini, & mirabilia ejus in profundo secretissimarum semitarum vitæ spiritualis: quæ ascendunt usque ad cœlos contemplatione divinarum perfectionum, & descendunt usque ad abyssos experientiâ flebili humanarum corruptionum: de quibus verè dicitur: turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est, Ps. 106. 27. ne ergo, obsecro, infinitas tales animarum vim patientium in Sacra Scriptura locutiones Jansenismi insimulemus; alias cogemur fateri, admirabile illud patientiæ exemplar beatum Job, de quo Deus ipsemet testatur: quod non esset similis ei in terra, & quod locutus fuerit rectum coram eo; maximum fuisse Jansenistam.

Nunc etiam attentius consideremus, Eximie Pater, quanto mentis ardore omnes Sancti voluerint amare Deum, & jugiter amare, & ex toto se amare; & nihilominus fatentur & queruntur se taliter non potuisse sicut benè volebant: cùm tamen si tam fortiter voluissent, & perseveranter voluissent, jam de facto amassent, cùm tale velle non esset nisi ipse amor Dei, certè D. Augustinus, tam æstuans divinæ charitatis fornax

Digitized by Google

,, nax, audacter asseverat illud primum
,, & maximum mandatum dilectionis
,, Dei, quod tam facilè fuit in statu na-
,, turæ integræ, ut suapte ex toto corde
,, effluerer; in hoc statu naturæ lapsæ,
,, juxta totam sui exigentiam, & nobis
,, præscriptam expressis terminis in ipsa
,, lege Mosaica, & ratificatam à Christo
,, in lege Euangelica perfectionem, prop-
,, ter renisum innatæ in nobis per pecca-
,, tum originale carnalis concupiscentiæ,
,, à nobis in hac vita nullatenus posse im-
,, pleri, sed pro futura reservari, quia
,, nempe ista concupiscentia nobis sem-
,, per, & ubique, & in omnibus ita insi-
,, diatur; ut subreptivè, obreptivè, frau-
,, dulenter, violenter hinc inde à nobis
,, quædam vel obtineat, vel furetur, vel
,, excutiat: propter quæ, etiam justissi-
,, mi, quotidiè rogare habent: Dimit-
,, te Nobis Debita Nostra.
,, Unde prædictus Doctor effectivè con-
,, tra Pelagianos affirmat, quod excepto
,, Christo, quem constat nullum habuisse
,, peccatum, & sanctissimâ Virgine Ma-
,, ria, quæ ipsum concipere & parere me-
,, ruit, de qua propter honorem Domini
,, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur,
,, habere vult quæstionem; omnes sancti
,, quantâlibet fuerint in hoc corpore ex-
,, cellentiâ sanctitatis, fuerint peccatis
,, obnoxii. l. de nat. & grat. c. 30. Quare



,, etiam ad argumentum Juliani ex Prin-
,, cipe Apostolorum desumptum de Chri-
,, sto, quod quia peccatum non fecit;
,, habere non potuit: non tantùm non re-
,, fellit S. Augustinus sed omninò verissi-
,, mum esse concedit: addens: profectò
,, enim peccatum etiam major fecisset, si
,, parvulus habuisset, nam propterea nul-
,, lus est hominum præter ipsum qui pec-
,, catum non fecit grandioris ætatis acces-
,, su; quia nullus est hominum præter
,, ipsum qui peccatum non habuerit in-
,, fantilis ætatis ex ortu, l. 5. contra Julian.
,, Ex quibus duobus locis Augustini invi-
,, cem collatis & simul junctis, exurgit
,, argumentum (ut mihi quidem videtur)
,, invincibile pro immaculata Conceptione
,, Deiparæ, cui plus gratiæ collatum di-
,, cit quàm cæteris Sanctis ad vincendum
,, ex omni parte peccatum, idque confor-
,, miter ad orationem Ecclesiæ, quæ spiri-
,, tum S. corpus & animam Beatissimæ
,, Virginis præparasse dicit, ut dignum
,, filii Dei habitaculum effici mereretur,
,, ubi benè notandum quod in illa præpa-
,, ratione detur prioritas corpori; quia
,, nempe per concupiscentiam carnalem,
,, *sanctissimorum etiam conjugum concu-*
,, *bitum necessariò inficientem*, l. 1. de
,, Nupt. & conc. c. 12. & 24. seminata
,, caro Virginis assumere debebat virus,
,, animæ primo instanti mutuæ unionis

com-

,, communicandum, nisi corpusculum
,, illud inanimatum Spiritus Sanctus ope-
,, ratione sua, qualicumque prioritate,
,, ante istam unionem mundasset.

,, Alii igitur quilibet Sancti, & quan-
,, tumcumque sedulò & diligenter sibi in-
,, vigilantes, ut peccata omnia venialia;
,, quin & imperfectiones vitarent, si in-
,, terrogari possent (inquit August.) om-
,, nes unâ voce clamarent. Si dixerimus
,, quia peccatum non habemus, ipsi nos
,, seducimus, & veritas in nobis non est.
,, Experimentum hujus, Eximie Pater,
,, vel unico die in temetipso sume: conare
,, quantumvis, & orationi ardenter in-
,, cumbe, & omnia Monasteria Romana
,, pro te particulariter orent, & in hunc
,, finem centum Missæ celebrentur, ut
,, scilicet te ab omni peccato veniali inno-
,, xium possis servare: & non dubito quin
,, veritatem istius propositionis non tan-
,, tum clarè videbis, sed & senties & pal-
,, pabis. Audi nunc causam illius, etiam
,, ex parte Dei, idcircò (ait August.)
,, etiam ipsemet Deus sanctos & fideles
,, suos in aliquibus vitiis tardius sanat, ut
,, in his eos minus, quàm implendæ ex
,, omni parte Justitiæ sufficit, delectet
,, bonum, sive cùm latet, sive cùm etiam
,, manifestum est, ut quantum pertinet
,, ad integerrimam regulam veritatis ejus,
,, non justificetur in conspectu ejus omnis

" vivens, l. 2. de pec. mer. & rem. c. 19.
" perfecta tamen ista Justitia impossibilis
" non est, fieret enim si tanta voluntas
" adhiberetur quanta sufficit tantæ rei,
" esset autem tanta, si & nihil eorum
" quæ pertinent ad Justitiam nos lateret,
" & ea sic delectarent animum, ut quid-
" quid aliud voluptas sive dolor impedit,
" delectatio illa superaret: quod ut non
" sit, non ad impossibilitatem, sed ad
" judicium Dei pertinet; quis enim nes-
" ciat non esse in hominis potestate quid
" sciat, nec esse consequens, ut quod
" appetendum cognitum fuerit, appeta-
" tur, nisi tantum delectet quantum di-
" ligendum est, l. de Spir. & litt. c. 35. in
" fine. Ideò verò quisque nostrûm bo-
" num opus suscipere, agere, implere;
" nunc scit, nunc nescit, nunc delecta-
" tur, nunc non delectatur; ut noverit,
" non suæ facultatis sed divini muneris
" esse, vel quod scit, vel quod delecta-
" tur, ac sic ab elationis vanitate sanetur,
" & sciat quàm verè non de terra ista, sed
" spiritualiter dictum sit: *Dominus dabit*
" *suavitatem, & terra nostra dabit fru-*
" *ctum suum.* Tantò autem magis dele-
" ctat bonum, quantò magis diligitur
" Deus summum atque incommutabile
" bonum & author qualiumcumque bo-
" norum omnium, ut autem diligatur
" Deus, charitas diffusa est in cordibus
nostris

„ nostris, non per nos, sed per Spiritum
„ S. qui datus est nobis, per illum, in-
„ quam ego, Spiritum S. qui videlicet
„ quantum vult, & ad quæ vult, & quo-
„ modo vult, & quamdiu vult, & ubi
„ vult spirat, scilicet per Jesum Christum
„ Dominum nostrum.
„ Reducatur ergo tota quæstio ad hunc
„ casum Metaphysicum: ponantur duo
„ justi, seu etiam justissimi, circumdati
„ tamen infirmitate sua, qui per gratiam
„ actualem conentur & velint, promittant,
„ immò jurent servare omnia mandata
„ Dei, & tentationes superare: super-
„ veniat illis aliqua occasio enormiter alli-
„ ciens ad peccandum, vel offeratur actus
„ planè heroicus mandatorum Dei, V. G.
„ mori pro fide. Circa hoc acutè sibi vi-
„ dentur Pelagiani dicere (ait August. l. 2.
„ de pecc. mer. & rem. cap. 3.) quasi no-
„ strùm hoc ullus ignoret, quod si nolu-
„ mus non peccamus; nec præciperet
„ Deus homini quod esset humanæ im-
„ possibile voluntati. Sed hoc non vident,
„ quod ad nonnulla superanda, vel quæ
„ malè cupiuntur, vel quæ malè metu-
„ untur, magnis aliquando & totis viri-
„ bus opus sit voluntatis. Certum est in
„ isto illorum duorum casu, ad talem ten-
„ tationem superandam, vel opus præce-
„ pti adimplendum, illos ulteriori actua-
„ li, & forti, & omninò efficaci gratia

,, indigere, quæritur ergo an hanc ulteriorem efficacem per se gratiam Deus teneatur dare? si dicas quod ad hoc teneatur, illa gratia jam non erit gratia, utpote non gratis danda, unde nec gratia propriè nuncupanda, de grat. Christi, c.23.de nat. & grat.c.4.ep.106. Sed nec esse poterit subjectum orationis, quod adversatur orationi Dominicæ & quotidianis Ecclesiæ & fidelium. Si dicatur, quod Deus non teneatur illam dare: restat, an non possit, secundùm beneplacitum suum, vel ut Ap. dicit, pro bona voluntate, uni illam dare, & alteri non dare, & numquid non illa gratia sic data vel non data discernet istos duos? numquide non necessitate infallibilitatis alter stabit, & alter cadet? alter præceptum adimplebit, alter non adimplebit? iste autem stabit vel adimplebit per voluntatem suam, sed ulteriori gratia efficaci adjutam: ille cadet, vel non adimplebit, itidem per voluntatem suam, non spoliatam gratiâ habituali vel etiam actuali, quam antea habuerat, per ipsummet Deum (uti Vestra Pat. aliquos blasphemare affirmat) sed abstractam & illectam à graviori concupiscentia, cui superandæ illa par non erat, Deum autem illum adjuvare, illum non adjuvare, apertissimè declarat August. idque facere secundùm bene-

pla-

„ placitum ſuum, & cauſam illius diſcre-
„ tionis ad arcanum ejus judicium ſemper
„ juſtum & verum, quoniam juſtificatum
„ in ſemetipſum, pertinere, & hoc vo-
„ cat deſerere Dei, & repellere Dei: quid
„ eſt enim à Deo repelli, niſi non adjuva-
„ ri? in Pſalm. 118. 10.

„ Subjungit ultimò. Ex. Pat. Veſtra:
„ proinde debet Paternitas tua damnatum
„ hunc ſenſum Janſenii damnare, ſi inter
„ Eccleſiæ filios velis haberi, hoc ſuadeo,
„ hoc hortor, ut publicè retractes, quæ
„ temerariè, falſò, & erronèe contra Pa-
„ trem & Matrem tuam ſcripſiſti; ubi hoc
„ feceris, gloriam habebis apud omnes.

„ Quoad damnatum ſenſum Janſenii,
„ ſpero Eximiæ Pat. Veſtræ abundè & ſu-
„ perabundè ex antedictis fore ſatisfa-
„ ctum, & ipſammet judicaturam quod
„ è numero verorum Eccleſiæ filiorum
„ nequaquam exciderim, quoad verò re-
„ tractationem publicam illorum quæ te-
„ merariè, falſò, & erronèe ſcripſerim
„ contra Patrem meum ſummum Ponti-
„ ficem, quem impensè & ex intimo cor-
„ de, & etiam gratis veneror, & pro cu-
„ jus authoritate tuenda contra mon-
„ ſtruoſum & verè peſtilentem Tractatum
„ Patris vel Domini Ludovici Maim-
„ bourg, cæteris omnibus tacentibus, ca-
„ lamum maximè, ſi non unicè, ſtrinxi,
„ contra verò Apoſtolicam Eccleſiam

,, Matrem meam amantissimam, quam
,, suscepi defendendam contra eos qui oc-
,, cultis Cabalationibus jamdudum ejus
,, meditantur ruinam, & vitam illi spiri-
,, tualem, gratiam scilicet medicinalem
,, Salvatoris, crudelissimè conantur au-
,, ferre, obstupesco profectò & nullate-
,, nus possum concipere ubi, sub quo ti-
,, tulo, vel in quo paragrapho opusculo-
,, rum meorum vel minimam talium um-
,, bram reperire sit, si auderem in aliquo
,, ludere, obtestarer Ex. Pat. Vestram,
,, ut dignaretur mutare perspicilia: vehe-
,, menter enim suspicor ne utatur iisdem,
,, quibus in pervolvendo Jansenio talem
,, damnatum sensum invenit; hoc autem
,, certò sciat, si me conscientia mea talis
,, criminis vel in minimo reum testaretur,
,, quod illud ultimâ oculorum meorum
,, lacrymâ deflere, & ultimâ sanguinis
,, mei guttâ delere satagerem: nec per
,, publicam retractationem gloriam apud
,, omnes, sed æternam ac deiectivam
,, prorsus nominis mei confusionem pro
,, justa tam impiæ prævaricationis pœna
,, prætenderem, hisce maneo Eximiæ
,, Pat. Vestræ post apprecatum felicioris
,, anni auspicium, negotium non meum,
,, sed Regis ac Monarchiæ Hispanicæ, sed
,, Pontificis, sed Ecclesiæ, sed Dei, uni-
,, cè & obnixè commendans, &c. Male-
,, cæ 24. Octobris, 1686.

Sic

Sic illi eximio Doctori, Sanctissime Pater, super unico gravamine, quod in opusculis meis se invenisse dicebat, respondi, sperans felicem brevi exitum & miseriarum finem me obtenturum: ad quem effectum eandem etiam responsionem misi ad Emin. D. Cardinalem Slusium; sed usque in hanc horam meâ me spe frustratum experior, quasi ad meum levamen Roma totaliter obmutesceret.

Cætera autem quæ habentur in Libellis meis, iste Eximius Pater, quasi approbat per reliquum epistolæ suæ, cujus hic tenor.

Si verò tuos Libellos non respersisses Jansenismo, quoad alia, quæ pro Papa moderno, pro Rege nostro Catholico, pro Cæsare Augusto & Domo Austriaca & Regnis eorum agis, ut justitia restituatur, & genimina viperarum à regimine publico excludantur, poterant servire pro antidoto contra gliscentia indies mala, poteras etiam perstringere Jesuitas in actis publicis, & impetere doctrinam Molinæ & Molinistarum uti contrariam S. Augustino & sanctæ antiquitati, ut DESINAT NOVITAS LACESSERE VETUSTATEM. Et credò, ac satis convincis, quod Jesuitæ hodiè de S. Apostolica Sede non tantum mereantur, ut causam eorum

 velit

facere suam. Hæc quoad tuos libellos, & optem tertiam partem habere integram, uti & Factum quod edidisti, & non vidi. Utque sisterem hæc mala & scandala, egi cum P. Generali Jesuitarum, ut juvenem seductum & abductum dimitteret, allegans etiam quod parentes libenter dabunt 4000. Florenor. vel alias quod prævideam, præter editam, majorem adhuc tempestatem in ipsos suscitandam, &c. Respondit quod non habeat potestatem dimittendi juvenem contra suam voluntatem, reposui, quod habeat potestatem dimittendi Professum etiam 40. annorum contra suam voluntatem, quando timetur per detentionem aliquod malum Societati; quantò magis juvenem, ex cujus receptione jam Societas gravia passa sit, & timetur justè ne graviora & calamo & scripto patiatur, vocabatur à Majori; unde brevibus his discessi, accedam adhuc semel, & pulsabo quantum possum, ut vel importunitate aperiat aurem, interim V. P. æqui bonique consulat, quæ pro quiete sua & pace conscientiæ coram Deo & hominibus scripsi, & fac ut cum S. Matre Ecclesia reconcilieris Romæ ad S. August. 16. Novembris, 1686.

Tibi ad Saniora consilia promptus & fidelis, &c.

Videns interim, Sanctissime Pater, quod nullum per multos menses veniret respon-

sum

ſum Româ, petivi humiliter à R. P. Michaële ab Oudenboſch Provinciali meo, quatenus dignaretur me eximere proviſionali iſta diſpoſitione, quod in poteſtate ſua eſſe affirmabam, non expectato etiam deſuper judicio Romano: ſi judicaret non expedire ut totaliter in integrum reſtituerer redderet ſaltem me Sacramentis Eccleſiæ, quibus tam longo tempore nec ſcandaloſiſſimi apud nos Apoſtatæ vel nebulones interdicerentur, oſtendit ad hoc ſe dictus Provincialis ſatis inclinatum (quod & ſibi licere confirmabat) ſed in hac generali quaſi totius Provinciæ perturbatione propter chymæricum Janſeniſuum excitata, pro tempore non expedire: quod iſtius etiam opinionis eſſent fideliſſimi quique amici mei: proinde quod adhuc tantiſper vellem exercere patientiam: quod aliquoties deſuper ſcripſiſſet ad R. Patri Arſenio de Fontibus qui in qualitate Commiſſarii Generalis ad latentem in Provincia Janſeniſmum, cujus ne vel minimam umbram Ildephonſus Auſtriacus Diffinitor generalis, & Commiſſarius ad eandem cauſam, ante biennium invenire potuerat, penitius inveſtigandum, perſcrutandum, & debellandum ex Hiſpania in Belgium advenerat, hic autem deſuper ad ipſum Generalem recurrerat, à quo nihil veniebat reſponſi, niſi ſibi non licere in illa cauſa quidquam innovare, utpote jam pertinente ad Tribunal S. Inquiſitionis,
videns

videns ergo quod nihil favoris mihi expectandum esset in Ordine, iterum recursum habui ad eundem Ex. Patrem van Hecke cum hac epistola.

Ex. ac Ad. Rev. Pat.

„ Ego jam per 16. menses longanimi
„ patientiâ expectavi aliquem mi-
„ seriarum mearum terminum,
„ vel saltem allevationem; cùm meritò
„ viderer judicare posse me abundè & su-
„ perabundè per ultimas meas difficulta-
„ tibus mihi ex parte Ex. Pat. V. proposi-
„ tis satisfecisse: sed frustra, unde ulti-
„ mam vocem adhibere cogar cum cla-
„ more valido & lacrymis in Libello Sup-
„ plici ad ipsummet summum Pontifi-
„ cem, ut tandem aliquando vel justificer,
„ vel condemner, vel præsens audiar. mi-
„ rum ac novum, immò omnium novi-
„ tatum supereminens novitas, quod vos,
„ qui vultis audire fidelis S. Augustini di-
„ scipuli, ac intrepidi defensores, Moli-
„ nisium, ejus doctrinæ in omnibus capi-
„ taliter adversum, ubique terrarum, quin
„ & in omnibus ferè Ordinibus, Mona-
„ steriis, claustris, per cabalationes Je-
„ suiticas, intrudi vel violenter vel sub-
„ dolè, patiamini, quod nihil aliud est,
„ quàm expulsâ Catholica de Gratia eique
„ annexis doctrinâ, substituere Pelagia-
pisimum.

Digitized by Google

,, nismum, sed audio quod in Romana
,, Curia causa Religionis vel fidei potiores
,, partes non obtineat, esto autem: ha-
,, beat ibi potissimas Politismus partes, at
,, quomodo excusabunt se Curiales Ro-
,, mani & Ministri Pontificii, Cardinales,
,, quin & ipsum Ecclesiæ Caput, si impu-
,, nitam relinquant impiissimam prævari-
,, cationem publicè & in orbis theatro per-
,, actam: deputationem scilicet alicujus
,, Jesuitæ (absque dubio Mandarini pri-
,, mæ Classis) ex parte Imperatoris Tar-
,, tarorum crudelissimi, etiam supra
,, Turcam, Christianorum hostis, ad
,, Serenissimum Poloniæ Regem, ad unio-
,, nem Muscovitarum cum confæderatis
,, Potestatibus, ad summum Christianita-
,, tis bonum initam, irritandam & pror-
,, sus dissolvendam? illa inficiari non pos-
,, sunt, in initio præsentis anni in Curia
,, Poloniæ peracta sunt, & tamen omnes
,, Principes tam Ecclesiastici quàm sæcu-
,, lares, quasi letargici, tacent, & viden-
,, tes videntur non velle videre, mira Je-
,, suitarum fatalitas, & infælicissima
,, prorsus fælicitas! quod impunè omnia
,, possint dicere, scribere, docere, præ-
,, dicare, facere; & quod nullus possit
,, vel semel mussitare illos talia dicere,
,, scribere, docere, prædicare, facere
,, in ruinam Status & Religionis; quin ab
,, omnibus judicibus tam sæcularibus
quàm

„ quàm Ecclesiasticis, quin & regulari-
„ bus statim & absque ulla forma judicii
„ ad exquisitissima rapiatur supplicia, &c.
„ Masecæ 12. Junii, 1687.

Dum in talibus rerum Augustiis, S. P. cogor miseram vitam trahere, ecce mittitur à nostro R. ad. P. Generali amplissima commissio prædicto P. Arsenio, qua illum non tantum in Commissarium generalem ad hanc unam Jansenismi, hactenus invisibilis & irreperibilis, causam, sed ad quaslibet, & etiam visitatorem constituit cum potestate convocandi Capitulum Provinciale & in eo præsidendi, &c. cum autem inde nihil mali pro me expectarem propter protestationem ipsius Generalis, jam ante factam, scilicet sibi non licere aliquid erga me disponere propter devolutionem causæ meæ ad altius tribunal; subitò cogor primos impetus istius Commissarii, totaliter à Jesuitis præventi, sustinere, qui ante honestæ addictus eram custodiæ cum libertate aliquando per hortum deambulandi, bibliothecam invisendi, & quibuslibet libris utendi ad honestum exercitium, &c. Regulamentum novum accipio, missum ad P. Guardianum Masecanum & mihi inthimatum 3 Julii hujus tenoris.

Mul-

Digitized by Google

MULTUM VEN. PAT. &c.

PRæterea Vestræ Patern. strictè injungo quatenus invigilet super custodia P. Eugenii Brugensis, ita ut nullus sæcularis absolutè cum eo colloquatur, neque ex Religiosis ullus, nisi Pat. Vestra, & hoc rarò & prudenter, ejus Confessarius, & qui ministrat prandium; neque illi in potu aut victu aliquid speciale concedatur, sed omnimodè, sicut unus ex Communitate & familia in refectorio, communiter tractetur: similiter libri ei non concedantur, nisi tantum Breviarium, & alium librum ad devotionem, & ita injungo executiò præsent s regulamenti Vestræ Patern. sicuti & ejus personam cautè custodire & tutè, si enim contraventum fuerit præsenti meæ ordinationi Vestra Pat. erit reus transgressionis, & subjicietur condignæ punitioni. Pervenerunt enim ad aures meas repetitæ querelæ, quapropter ut nulla possit esse legitima excusatio, præsens regulamentum decrevi ad Pat. Vestram dirigere, quod apud se habebit reservatum, & tempore Capituli secum portabit ad hoc ut si aliquæ sint difficultates, possit constare ex eo mea ordinatio, meque certiorabit Vestra Pat. quo citius poterit de receptione harum litterarum, &c. Bruxellis 26. Junii, 1687.

In hoc regulamento invenire est tot vitia contra

contra Grammaticam, quàm contra Justitiam, & contra charitatem, fuerat Rev. ad. P. Commissarius commoratus jam ante Masecæ per tres ferè integros dies, habuerat suas exhortationes & visitaverat Conventum non semel recordatus regulæ suæ nec muneris sui in his verbis: fratres qui sunt Ministri aliorum Fratrum, visitent & moneant fratres suos, & humiliter & charitative corrigant eos: sicut nec admonitionis S. P. N. Francisci quod numquam aliquis frater, quantumcumque peccaminosus, visâ facie superioris sui, ab eo discederet absque misericordia &c. ille autem obstinatè renuit me vel semel videre vel alloqui, licet ad hoc iteratò requisitus à Guardiano; & sic contra nunquam visum, nunquam auditum exercens non charitates ut Pater, non modum procedendi ut judex, sed meram violentiam ut tyrannus, conatus est me tamquam irruens tempestas subitò obruere, nihil enim mihi visus est aliud dicere per hoc regulamentum, quàm: non possum te violentâ morte occidere, sed auferam à te omne solamen ab animo, omnem confortationem à corpore debili & multis iisque gravissimis cruciatibus obnoxio, omne exercitium ab ingenio, ut longâ tabe & lentâ morte contabescas.

Sic Jesuitæ, Sanctissime Pater, acuunt Capucinos contra Capucinos, Patres contra filios, Superiores contra subditos, eodem

Digitized by Google

dem autem ipſo die litteras acceperam à quodam P. Reginaldo Aldenardenſi, egregio veritatis defenſore, qui mihi conquerebatur ſe à paucis diebus ſpoliatum ſubdolè omnibus ſcriptis ad ſui defenſionem neceſſariis: cumque deſuper coram R. P. Provinciali eſſet proteſtatus juridicè tamquam de ſumma injuſtitia ſibi facta, proteſtationem ejus ſcripto exhibitam in multas partes cum indignatione in ejus præſentia fuiſſe dilaceratam, & omnes inſtantias ejus ſæpius & cum ſumma humilitate reiteratas, ſemper acerbè fuiſſe rejectas, cogitare cæpi, mihi propediem neceſſariò aliquod ſimile expectandum eſſe; quomodo autem tueri innocentiam meam ſi omnibus inſtrumentis privarer? quomodo etiam tueri innocentiam ipſius Provinciæ? tam violentus agendi modus numquam apud ſæculares (vix credo quod apud Barbaros & Schytas) obtinuit, ubi regula juris habet: ſpoliatus ante omnia reſtituendus, allegabo ego, V. G. Eximium Patrem van Hecke nihil reprehenſibile in meis ſcriptis inveniſſe, niſi quod videar libellos meos Janſeniſmo reſperſiſſe: ablatâ à me authentica epiſtola, dicent me mentiri, numquam virum illum ad me ſcripſiſſe, &c. ſic certè innocentes opprimere facillimum.

Videns me igitur in arcto poſitum, & vel Conventum taſemque meam Tyrannidem,

vel

Digitized by Google

vel defensionem meam & Provinciæ me debere deserere ; hæc prævaluit : unde clam inter 4. & 5. ejusdem mensis Julii me surripui, & in tuto loco in ipsa Civitate Mascana cum scriptis meis collocavi, exaratâ hac & missa ad R. P. meum Provincialem epistola, præter parvulum scriptum quod in Custodia mea reliqueram hujus tenoris.

Ven. P. Guardiane, ego nec habitum dimisi, nec apostatavi, sed persecutionem iniquissimam & injustissimam declinavi juxta verbum Domini : cùm te persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam, nulli umquam Fratrum vel minimam dedi occasionem qualiscumque contradictionis, & Rev. Vestra scit quomodo declament in me, negatur mihi ubique Justitia, magna passus sum & prorsus indigna, & majora parabantur, quæ declinare non velle, in stultitiam mihi fortè reputaretur, veritatem porto mecum, & vindicabo illam strenuè & strenuissimè contra Jesuito-Capucinos illius persecutores, scribat R. V. nomine meo superioribus majoribus & ipsi Commissario quod habeam calamum, stylum, & ingenium, & expectent quantocius aliquid quod lucem merebitur, in loco enim, quem elegi, prorsus absconditus sum, & habeo ad commoditatem prælum : & de hoc certò certius assevera omnes, quod nihil umquam audient de me, adjuvante gratia Dei cujus causam defendam

dam usque ad mortem, nisi quod verum & humaniter perfectum Capucinum deceat, commendo me cum lacrymis plurimis precibus R. Vestræ, P. Vicarii, & Huberti, hæc erat Epistola ad Rev P. Provincialem.

REV. PATER.

Scripseram isti Viro, S. P. rationem unicam meæ subtractionis ab injusta ejus Tyrannide pro aliquo tempore, esse, quia scripto conarer defendere tam benè innocentiam meam quàm Provinciæ meæ nimis atrociter calumniatam; & ille in me invehitur & intimidare conatur suppliciis divinis, quasi scriptis meis intenderem illam perdere, dicit meam personam quoad alia præter cognitionem causæ compositionis libellorum esse in sua protestate, & se neminem inauditum condemnaturum, cùm tamen de facto me, nequidem visum, multò minus auditum, absque ulla allegatione causæ, nisi quod ad aures ejus pervenerant repetitæ querelæ (an veræ an falsæ nihil ipsi interest) tam infami regulamento onerasset, quidquid in epistola mea ipsum magis stringit, cautè declinat & sine responso prætergreditur. Licet ipsius litteræ essent de data 14. Julii, quia tamen interim amicus meus in Flandriam profectus erat ut ore tenus etiam conferret cum R. P. Provinciali, ideò cumulatus plurimis speciosis

ciosis promissis, tantùm, ut dixi, 23. ejusdem mensis reversus est ad arcam meam, in qua præ timore exundantis furiosi diluvii dilitueram, reversus est inquam cum ramo olivæ pacis in ore suo viridantibus foliis, quæ tamen citò post aruerunt, scriptis itaque meis in fideli manu relictis, cùm judicarem istos duos Tractatus impressioni imparatos cùm uterque conclusione finali careret; hic scilicet, quid tandem circa me concluderetur à Commissario; alter, quid in Provinciali Capitulo, in quo de summa rerum disceptari debebat, ab ipso tentaretur; quia nihil intendere videbatur partiali suo agendi modo quàm non humiliare sed exaltare calumniatores, & sus deque totam evertere Provinciam: idcircò illis Tractatibus imperfectis relictis, nocte 24. Julii ad Conventum redii & sequenti die ad ipsius epistolam simpliciter sic replicavi.

AD. REV. PATER.

,, POssem quidem ad omnia vestra
,, responsiva puncta præcisè, &, ni
,, fallor satis pertinenter replicare, sed
,, non lubet ultra verbis contendere; ideo
,, dico cum Apostolo: si quis videtur con-
,, tentiosus esse, nos talem consuetudi-
,, nem non habemus, neque Ecclesia Dei.
,, Demonstro autem ad hominem quod
,, timor meus non habuerit tam inane ac
,, furi-

,, futile fundamentum, quandoquidem
,, sublatâ ejus causâ, ut vestras recepi,
,, illicò ad Religionis gremium quam cor-
,, pore tantum & necessitate necessitante
,, coactus paulisper deserueram, advolavi,
,, quamquam consultum mihi fuerat ab
,, initio ut Trajectum me conferrem &
,, protectionem Statuum Hollandorum
,, implorarem, sicut etiam verbo insinua-
,, vi in prioribus meis ad R. P. Provincia-
,, lem: perlectis tamen vestris, malui
,, me Prælato Hispano & stanti promissis
,, totaliter confidere, quàm descendere in
,, Ægyptum ad quærendum auxilium, &
,, ecce heri circa duodecimam noctis re-
,, gressus sum ad Conventum, nequaquam
,, formidans; ubi erat modò certitudo ti-
,, moris propter instantes mortificationes
,, generosis animis ipsâ etiam morte for-
,, midabiliores.

,, Quandoquidem autem Rev. ad. Pat.
,, Vest. dicat quod pendente causâ libello-
,, rum meorum in altiori tribunali, per-
,, sona mea sit in vestra potestate; compa-
,, tere ergo (rogo te per sanguinem Jesu-
,, Christi) præsertim festo Portiunculæ
,, jam appropinquante, nobilissimæ
,, parti illius, id est, animæ meæ, quæ
,, jam pœne totaliter aruit quia tamdiu
,, oblita est comedere panem suum; quod
,, nequidem umquam fortè practicatum
,, fuit respectu scandalasissimorum etiam
apo-

Digitized by Google

apoſtatarum & perditiſſimorum hominum apud nos: unde verba mea non tam minis quam dolore & indignatione ſunt plena, in hoc puncto, obteſtor te, oſtende te Patrem, aperi viſcera paternæ charitatis, cætera præterquam frequentationem Chori, crede mihi; pro indifferentibus habebo, & licet in illis ſecundum omnem juſtitiæ rigorem volueritis procedere, conabor in patientia mea poſſidere animam meam: & dicam audacter, quod malim puniri in hoc ſæculo, quàm ut reſervetur pœna, quam meruiſſe vobis videar, in futuro; quod autem in hoc facilè poſſitis diſpenſare, Regula juris clamat, docens, nihil tam naturale eſſe quam eo modo unumquodque diſſolvi quo colligatum eſt, quoad hoc verò vinculum; id ſolius eſt R. P. Provincialis qui me illo ligavit, unde & per ſe poſſet diſſolvere (quantò magis Rev. ad. Pat. Veſt.) quandoquidem à nullo altiori tribunali umquam fuerit ſpecialiter ratificatum.

Quoad illa quæ ſcripſi de ſuſpicione doctrinæ tamquam à Vobis amplexatæ, vel de Buſembao, & quæ reſcribitis de tam infami prædicamento meæ perſonæ, quandoquidem ſimilia ambo divinare non potuerimus, debemus confidenter fateri ex eodem fonte nos hauſiſſe,

Digitized by Google

ſiſſe, ſcilicet ex relatione hominum nimis fortè partialium. Jam verò cum ſumma animi voluptate ex ſincera narratione fidelis mei amici percepi errorem idæarum mearum circa vos. Ex. P. van Hecke Qualificator S. Officii, cujus examini Romæ à Tubunali Univerſalis Inquiſitionis libelli mei traditi ſunt, tam ſiniſtram, quàm vobis expoſita eſt, de me etiam non habet opinionem, unum ſolummodò punctum ille Pater reprehendit, ſuper quo illi jam, ut credo pleniſſimè ſatisfeci. Quoad alia (inquit in ſua Epiſtola ad me Româ 16 Novembris 1686 data) quæ pro Papa moderno, pro Rege noſtro Catholico, pro Cæſare Auguſto & Domo Auſtriaca & Regnis eorum agis, ut juſtitia reſtituatur, & genimina viperarum à regimine publico excludantur, poterant ſervire pro antidoto contra gliſcentia indies mala, poteras etiam perſtringere Jeſuitas in actis publicis, & impetere doctrinam Molinæ & Moliniſtarum uti contrariam S. Auguſtino & S. Antiquitati, *ut deſinat novitas inceſſere vetuſtatem*, & credo, ac ſatis convincis, quod Jeſuitæ hodiè de S. Apoſtolica ſede non tantum mereantur, ut cauſam eorum velit facere ſuam. Hæc ille Vir.

Verumtamen, quandoquidem R. ad. Pat. Veſt. me tam ſeriò admonet,

ut

Digitized by Google

ut ſecum velim confidenter agere, candidè fateor, quod audiens quid in ſingulis ferè civitatibus per Jeſuitas, adjunctis ſibi aliis Mendicantium Ordinibus, & viris ſibi devotis cabalatum ſit; videns etiam quod jam fermè per annum nihil actum ſit in cauſa Provinciæ noſtræ tam horribiliter diffamatæ, cum tamen nemini hactenus ulla ex 5. propoſitionibus ab Eccleſia damnatis (quæ ſolæ prætenſum Janſeniſmum poſſunt conſtituere) vel ſemel fuerit objecta, & ab altera parte conſtet ex authenticis litteris de calumniatoribus: videbar rationabiliter poſſe ſuſpicari, quod R. ad. Pat. V. ſuperſederet condemnare Provinciam, quia non poſſet; condemnare calumniatores, quia non vellet.

Neque verò timendum eſt, ad. R. Pater, quod in actu ſcribendi juſto Dei ſupplicio effundam viſcera mea, ſed magis ſperandum quod ardenti Dei Zelo effundam viſcera miſericordiæ erga amantiſſimam Matrem Provinciam meam tam impudentibus impetitam calumniis, erga communem omnium fidelium Matrem Eccleſiam Dei viventis operâ factioſorum ſuperborum in probabilibus & problematicis enormiter vulneratam, dum erroribus ſcatentem Scholaſticam (ut mitiſſimè loquar) & perverſiſſimam Moralem pro ejus doctrina quaſi per fas

Digitized by Google

,, fas & nefas mundo conantur obtrudere,
,, quod si talibus pro communi Christia-
,, nitatis bono incumbens defecero, be-
,, nedicam Deo, & moriar, fretus hac
,, unica consolatione, quod qui abnega-
,, to me & in holocaustum oblato pro
,, defensione veritatis (quam omnes
,, amare, & revereri, & etiam timere
,, debemus) desudavi & multa passus
,, sum in hac vita, illa me liberatura sit in
,, altera, de reliquo, & me & cætera om-
,, nia in manus miserentis Dei ex intimo
,, corde resignans maneo, &c.

Interim in sua ad P. Guardianum Commissione superius contra me decretum Regulamentum in aliquibus temperaverat, nulla tamen apparebant vestigia tantarum pollicitationum quas iteratò prædicto meo amico sæculari quàm Patri Modesto Vicario Masecano, qui etiam mei causâ expressè Bruxellas à Communitate Conventus missus fuerat, fecerat, multoties sincerè affirmando quod favores quibus ab ipso cumulandus eram, omnem meam expectationem longè, immò quadruplò, superarent, pro arrhis has ad me propriâ manu exaravit litteras.

Digitized by Google

Ad. Ven. P. Eugeni.

GRatiſſimas veſtras accipio & totus in lætitiam cordis diffuſus congratulor de Veſtro reditu & confidentia quam mediante Dei gratia in meis habuiſti verbis quibus ſemper firmus quantum fas eſt permanebo, modo pro veſtra conſolatione, compatiens veſtro animo deſolato, relevo pœnam ſuſpenſionis quo fuiſti ligitatus, taliter quod deinceps à die Portiunculæ incluſivè, quâlibet ſeptimana bis accedere valeat ad Euchariſtiam, & ad Confeſſionem prout placuerit, ſalvo tamen quod celebrare per ſe non ſibi liceat, ad Chorum pro conſolatione etiam poterit adire quantum vires ſuppetant à cujus ſuſpenſione etiam relevo. Præterea ad pleniorem conſolationem pro foro conſcientiæ, pro prima vice tantùm quo accedat ad Confeſſionem, concedo veſtro Confeſſario meam authoritatem tam activam quàm paſſivam, ſalvâ tamen, ut per ſe patet, abſtinentia à celebratione ut dictum eſt, de cætero curabo omnia diſponi juxta charitatem & confidentiam generoſam Veſtram quantum fas erit. Valeat.

Similes miſerat ad P. Guardianum 28. ejuſdem & alias ſuperaddidit ſequenti die in hunc modum.

AD. VEN. PATER.

HEsterno die feci litteras ad V. P. manifestando qualiter levarim P. Eugenio Brugensi pœnam impositam suspensionis, & ne dubitatio aliqua exoriatur ex non explicatis, modò apertius dico, quod non est mea intentio illum habilitandi ad concionandum, nec ad excipiendas Confessiones, quia ab his muneribus utpote consequentes ministerialibus à celebratione manet suspensus, & sicut celebrare ei interdicitur, ita & concionari & Confessiones absolutè excipere, hoc ipsi notificabit P. V.

Prætereà cautè se gerat, abstineatque à communicatione cum sæcularibus & à litteris scribendis, habeatque patientaim, & bono exemplo curet se dignum præstare ALTERIUS CONSOLATIONIS QUAM FAVENTE DEO ANTE MEUM DISCESSUM COGITO ILLI PRÆSTARE.

Interim R. ad. P. Commissarius certior factus de aliqua Jesuitas concernente Ministri Hollandi Epistola, cujus aliquot exemplaria alio destinanda consignata erant in manus prædicti P. Reginaldi; mirum quomodo ille homo se totum Jesuitam manifestans desuper exarserit: cumque in illo negotio me fortè reum suspicaretur, per alias ad eundem P. Guardianum de data 8. Augusti indulgentiam priorem, per quam mihi vitam communem

nem cum Fratribus indulserat juxta regulam juris quod Exceptio firmet regulam in casibus non expressis, revocavit & omnia in pristinum statum præter illas Communiones hebdomadarias reduxit; insuper addens: V.P. curabit informationem accipere de tempore quo P. Eugenius fuit extra conventum, qualiter se gessit, & si aliquod scandalum inde fuit ortum &c. ad quid hæc necesse, cùm de tempore per measmet epistolas certò scire posset, & ante jurejurando affirmassem me nequidem per aliquod veniale peccatum vel minimam scandali occasionem dedisse, cùm ne semel extulissem pedem ex meo cubiculo & nulli mortalium prærerquam hospiti fuissem locutus, quin nec ejus uxori nisi in exitu ipsi valedicens; strictioremque, quantumlibet eodem hospite renitente, abstinentiam servassem quam in ipso Conventu, sed videbatur Commissarius nodum in scyrpo quærere, revera tamen defecit scrutans scrutinio.

Ego autem, *S.* P. non inveniens in me excogitabilem causam tam subitæ mutationis, suspicans eam ab extra venire, ut ab ipso Commissario aliquid expiscarer, mitto illi effigiem Regis Catholici in qua minianda per aliquot dies desudaveram, sed nulla secuta est responsio & sic deserit Provinciam 25. Sept. 1687. Intereà veniunt obedientiales quibus mittor Hasseltum, ibi positus de familia, ubi post quam per aliquot septimanas pacificè Chorum & refectorium &c. cum aliis Fratribus

frequentassem : accipio 18. Novemb. Epistolam à R. P. Sereno Trudonensi novo Provinciali hujus tenoris.

MULTUM VEN. PATER.

COmmunicavi P. Guardiano Hasselensi regulamentum ab ad. R. P. Arsenio Commissario 25. Sept. datum, & à R. V. observandum, cum mandato illud P. V. prælegendi, &c.

Illud autem Regulamentum sic sonat.

F. Arsenius de Fontibus Commissarius & Visitator Generalis.

Ad obviandas difficultatas quæ oriri possunt cum P. Eugenio Brugensi Concionatore, ordinatur sequens regulamentum.

I. Quod ad mensam vadat cum communitate.

II. Quod à sæcularibus omninò abstrahatur, & si contravenerit, in cella recludatur, & nisi ad Chorum & mensam non exeat.

III. De libris tantùm conceditur quod habeat Breviarium, & unum tomum ex S. S. Patribus cum uno vel altero devotionali.

IV. Quod nullo modo litteras dirigat per manum alicujus nisi sui P. Guardiani, & non nisi bis in septimana possit unam vel alteram epistolam scribere, in alia verò materia nullo modo possit scribere, sub pœna superius assignata, & insuper jejunii unius diei in pane & cerevisia tantùm, datum in Conventu nostro Bruxellensi 25. Sept. 1687.

Subsignatum

F. Arsenius Visitator Generalis.

Contra prædictum regulamentum mihi 18 Novemb. insinuatum coram V. P. Guardiano Hasselensi hocce scripto adhibitis duobus testibus juridicè protestatus sum.

Ego infrascriptus protestor me nolle acceptare regulamentum missum à R. P. Sereno Trudonensi Provinciali multum V. P. Fred. Hasselensi Guardiano tamquam à R. ad. P. Arsenio de Fontibus Commissario & Visitatore Generali contra me decretum, propter multas rationes. I. Quia tempus Commissionis ejusdem R. P. Arsenii antequam mihi missum vel insinuatum esset prædictum Regulamentum, jam expiraverat, & innovatio intercesserat, cum Hasseleti positus essem & me jam per 3. septimanas comportassem sicut quilibet de familia, præter exercitia Sacerdotii, Confessionalis, & Prædicationis. II. Quia latum contra me inauditum, & absque ulla cognitione causæ. 3. Quia nullo modo intelligibile propter constructiones malè conceptas. Proæmium vix sibi constát & visibilem involvit injustitiam. F. Arsenius loquitur, & non dicit quod ipse ordinat, sed quod ordinatur sequens regulamentum absque quod dicat à quo vel à quibus, ad obviandas, inquit, difficultates, cupio doceri quid hoc significet, & quænam sint illæ difficultates, quæ oriri, addit, possunt cum P. Eugenio, certè si regulamenta ponantur super difficultatibus possibilibus, nullus in tota Religione ab

illis erit immunis, puncto 2. dicit, quod à sæcularibus omninò abstrahatur, & si contravenerit &c. quomodo possibile ut activè contraveniam si passivè omninò abstrahor? implicat quippe contradictionem abstractum esse omninò à sæcularibus, & in sensu composito communicare cum illis, puncto 4. dicitur quod in alia materia non possit scribere, nulla assignatâ, qnod valde laté patet, debuerat particularius explicari in qua possit scribere, & in qua non, non apponitur etiam tempus quo illud regulamentum durare debeat, unde videtur importare per totam vitam, cum prætensæ imaginatæ difficultates, quas dicit Commissarius oriri posse, numquam ad casum impossibilitatis nisi per mortem P. Eugenii sint deventuræ, unde istud regulamentum rejicio tamquam notorie injustum, impertinens, inintelligibile, absurdissimum, & numquam in Religione practicatum, sic & omni meliori modo &c. datum Hasseleti 19. Novemb. 1687.

R. P. Provincialis acceptâ hac meâ rejectione consuluit desuper Diffinitores, & P. Guardiano rescripsit, quod siquidem me gravatum judicarem per præfatum regulamentum recurrerem ad R. ad. P. Generalem, ad quod hæc in terminis pro responso ipsi rescribi procuravi: me hoc nolle facere, quia frustra, quandoquidem pro indubitato tenerem, quod ipsemet Generalis sciens volensque, ad gratificandum Jesuitis, tam misera-
bilem

Digitized by Google

bilem Commissarium elegisset, qui nullum ferè fecerit passum absque aperta violatione Justitiæ; nullum ferè scripserit verbum nisi peccando contra Grammaticam: quod hæc ipsissima verba cum mea rejectione audacter mitteret tam benè Commissario quàm ipsi Generali.

Quod si Patres judicarent me debere hoc regulamentum observare, possent me ad hoc cogere; quandoquidem mihi tanta foret differentia desuper me activè vel passive tenere, quod mallem ad ipsius observantiam cogi pro tota vita, quàm illud activè acceptare & acceptando approbare vel pro unico momento, unde sumpto iterum consilio Diffinitorum advenit tandem decretum ex parte R.P. Provincialis 23. Decemb. 1687. ut juxta tenorem regulamenti in cella mea includerer, sic ut me impræsentiarum, S. Pater, inveniam gravatum omnibus carceris incommoditatibus idque in altiori gradu, & privatum omni ejus commodo; gravatum omnibus Religionis oneribus & austeritatibus, & privatum omni ejus consolatione, unde nulla incontestabilior proba, nec magis convincens & ad hominem quàm ego ipse, quod PRO JESUITIS ET CONTRA JESUITAS constituat omnem bonitatem & malitiam actionem moralium; hæc est ulna, hic modius, hoc pondus Sanctuarii totius Moralis Theologiæ, hæc statera justa secundum Societatem omnium vitiorum & virtutum, in tan-

tùm, ut virtutes, quantumvis heroïcæ, stigmate illo CONTRA JESUITAS inurantur, statim Metamorphosi incredibili transformentur in crimina tam atrocia ut nullis umquam pænis expiari possint.

Quàm diversimodè, Deus bone, tractamur ab illo Commissar o judice Seraphico, sed Jesuitico fermento totaliter corrupto, ego & R. P. Fulgentius Neoportanus! hic accusatus jam tertiò juridicè tamquam perturbator & schismaticus Provinciæ Capucinorum Flandro-Belgicæ per 20. annos, convictus tamquam rebellis contra R. P. Provincialem legitimum suum superiorem per sexennium, tamquam pertinax etiam ejusdem calumniator & diffamator; idque de factis tam scelerosis, ut si vera forent, ipsemet Provincialis in supplica eidem Arsenio Commissario juridicè porrecta, fateatur se dignum relegatione ad triremes; diffamator insuper omnium ferè Superiorum Majorum, Lectorum, Concionatorum, Guardianorum ac denique totius Provinciæ Flandro-Belgicæ tamquam Jansenismo & hæresi infectæ, &c. ille ipse Vir, quia crimina tam atrocia commisit PRO JESUITIS, non potuit illum R. ad. P. Arsenius de Fontibus, totus Jesuiticus, dignius remunerare, quàm præmio Provincialatus nostri, ad quem illi conferendum omnem excogitabilem movit lapidem, ad hunc finem incutiendo capitularibus non tantùm metum cadentem in constan-

ſtantes viros, ſed etiam terrores formidabiles capaces turbare & conſternare conſtantiſſimos quoſque, reduplicatos quoque per Comminationes Excell. D. Marchionis Gubernatoris Belgii ab ipſo in hunc finem ſpecialiter procuratas immediatè ante Capitulum; quin etiam per conjectionem P. Reginaldi ſupra memorati, à ſe Bruxellas per obedientiales Iſcariotizantes evocati, non auditi, non viſi, abſque ulla forma judicii & per meram tyrannidem, in teterrimum carcerem & apoſtatarum ac peſſimorum nebulomum ergaſtulum, & porrò per talia media certò certius Pater Commiſſarius finem ſum ac ſumma volorum obtinuiſſet, niſi ipſemet Deus tam impiis conatibus ſeſe ipſi obſtitiſſet: cujus providentiâ prorſus admirabili & à nullo ferè expectatâ factum, ut ille Pater in ſtatera Provincialatûs quin & Diffinitoratus poſitus, inventus fuerit utrobique minus habens; ad illum tamen deſuper conſolandum Viſitator Generalis ei Guardianatum Antverpienſem contulit, omneſque ejus creaturas quantis potuit favoribus cumulavit, hæc fuit digna tantis facinoribus retributio, dum ego, qui Sedem Apoſtolicam, qui domum Auſtriacam, qui Eccleſiam Dei viventis contra inſultus Jeſuitarum pro virili defendo, ad quotidianas mortificationes ipſâ etiam morte intolerabiliores ab eodem judice, numquam viſus, numquam auditus tyrannicè adjudicor, quæ

 fata-

fatalitas, per Deum immortalem, has sortes tam diversas fecit? nulla prorsus nisi PRO ET CONTRA JESUITICUM, sed quomodo illud tam potens & efficax apud pauperes Capucinos, ut ego pro defensione Ecclesiæ Dei & Domûs Austriacæ detegens vera Jesuitarum crimina ad utriusque ruinam conspirantium, nobis extraneorum & nihil commune cum ordine nostro habentium, à Judice Seraphico justitia archiseraphica instructo, dignus judicer quibusvis pœnis ac tormentis: & P. Fulgentius ad destructionem Provinciæ impingens falsissima crimina propriis Fatribus Capucinis, quin & præcipuis Patribus Provinciæ, immò & suo proprio Provinciali ac legitimo superiori, ab eodem judice Provincialatu dignus judicetur, & in ejus defectu Guardianatu Antverpiensi honoretur? hic hæret aqua, S. Pater, & cogor ingenuè fateri sub veste Capucinorum etiam Jesuitas, & Jesuitas Jesuitizantes contegi.

Ecce nunc promissiones illius Commissarii egregiè adimpletas, ecce hominem qui de se scribebat HISPANUS SUM, ET STO PROMISSIS: alius fortè adderet: etiam Jesuiticus es, & ideò non habes nisi fidem Punicam. Extraxit me è Custodia, S. P. non ut aliquâ saltem ex parte me integrum restitueret, sed ut me custodiæ commoditatibus privaret, omnibus Religionis laboriosis exercitiis gravaret, & quotidianæ con-

confusioni ac ludibrio exponeret; quasi uno verbo dicat: non possum te violentâ morte opprimere, longâ igitur tabe & lento martyrio consumam: ut omnes imposterum Cupucini exhorrescant sacrosanctam Societatem, mihi amicissimam, aliquo vel minimo verbo perstringere.

Alteram consolationem, quam favente Deo se mihi collaturum, Guardiano Masecano promiserat juxta superiorem epistolam, nullam inveni nisi quod expresse in mandatis dederat R. P. Sereno Provinciali ut causam super exitu meo clandestino tamquam contra perditum apostatam, furtorum forte & reum vel impudicitiarum (uti talibus commune) vel suspectum institueret, quod ut cognovi, visitantem Conventum Hasselensem hac declaratione præveni.

Ego infrascriptus coram vobis R. P. Sereno Trudonensi Min. Provinciali Provinciæ Flandro-belgicæ declaro: cùm audierim Vobis à R. ad. P. Arsenio de Fontibus Commissario & Visitatore generali in mandatis datum, ut causam super clandestino meo exitu è Conventu Masecano criminaliter contra me instituereris, & definitivè expediretis: quod egomet desuper moturus & instituturus sim actionem injuriatum apud Tribunal summi Pontificis contra prædictum Commissarium, eô quod per insupportabilem suam tyrannidem ad illas angustias me adegerit, ut extremâ necessitate coactus, flens & suspirans debue-

rim pro aliquo tempore extra Religionem azylum quærere. Evidentissimè etiam (uti spero) ibidem demonstraturus quod prædictus R. ad. P. Arsenius in nostra Provincia Flandro-belgica egerit partes per omnia judicis sine conscientia, & Visitatoris sine religione. Contestans contra eum cœlum & terram, quod contra mentem & inclinationem meam cogat me detegere turpitudinem superiorum meorum, quam, licet jam diuturna humiliatione, & iniquâ castigatione contritus, equidem velare decreveram; eligens potius gemens tacere & miseriis meis immori, quam tam scandalosas & pœnè incredibiles justitiæ profanationes extra Religionem propalare. Actum Hasseleti 24. Aprilis 1688.

F. Eugenius Brugensis ac. cap. ind.

Hanc declarationem à se subscriptam in præsentia V. V. P. P. Frederici Hasselensis Guardiani & Modesti Trajectensis Prædicatoris testium ad hoc rogatorum, Nobis prælegit & in manus nostras consignavit die & loco, ut supra.

F. Serenus Minister Provincialis ind.

Ex quo apertissimè patet. S. P. quod ultra annum fere integrum supersederim molestus esse sanctitati vestræ per hanc meam supplicam & ad ejus editionem non processerim nisi inevitabili necessitate compulsus, quam quæso

ſo dignetur in meliorem partem ſumere, & pro inſtitutione actionis injuriarum contra Arſenium Commiſſarium & Viſitatorem generalem acceptare. Scio Sanct. veſtram verbis meis vix adhibituram fidem, ſed omnia in proceſſu poſteà luce meridianâ clàrius patebunt; & maximè quod præcipui actores hujus Tragicomediæ in noſtra Provincia peractæ (quamvis retrò cortinas partes ſuas egerint) ſint ipſiſſimi Jeſuitæ, qui ſecuti ſuperbiſſimum Aman, pro nihilo duxerunt in me ſolum mittere manus ſuas, magiſque voluerunt totam noſtram ſuſdeque evertere Provinciam; ſed cogitaverunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire, cogitationes Rectorum tenebrarum harum reprobante & diſſipante Deo.

Sed numquid prorſus admirabile S. Pater, immò & prorſus inconceptibile? Jeſuitæ novam ex omni parte cudunt Theologiam cum ſummo ſcandalo & perturbatione Eccleſiæ Dei, & maximè in punctis præcipuis Catholicæ fidei, gratia nempe medicinali Salvatoris, incomprehenſibili myſterio prædeſtinationis divinæ, meritis bonorum operum, libertate humani arbitrii. In tot ac tam celebribus congregationibus ſub duobus Pontificibus habitis convincuntur de Pelagianiſmo & Semipelagianiſmo: & nulla ſequitur punitio.

Jeſuitæ fabricant ſuper incude infernali Moralem corruptiorem qualibet peſſimâ

Philoſophorum ethnicorum, immò etiam ipſo Alcorano impuriorem, deſtruentem penitus ipſam legem Moſaicam & Evangelium; illam obſtinatè per ſuam apologiam pro Caſuiſtis, in Gallia; per ſuam peſtilentem Amadœum Guirnemum in Hiſpania tuentur ac defendunt: tota, tota contra illos inſurgit Eccleſia, cenſuris ubique feriuntur, à ſummis Pontificibus prædicti Tractatus condemnantur; illis adjungit veſtra ſanctitas 65 propoſitiones: & tamen omnium ferè animarum qualitate, officio, dignitate præſtantium regimen retinent; quamquam jam convicti & multoties declarati peſtes morum & corruptores mentium; quaſi omnino extra teli jactum juſtitiæ punitivæ forent.

Jeſuitæ Hiſpali in Hiſpania publice foro cedunt, furantes quadringenta & amplius millia ducatonum à ſuis creditoribus, qui ipſorum fraudibus circumventi inopiâ & miſeriis confecti ſunt: omnia in Regiis Conciliis juridice probantur, & tamen impuniti evadunt.

Jeſuitæ, infamibus detractionibus & mille calumniis impetunt doctiſſimos ac ſanctiſſimos viros, tam Eccleſiaſticos quam Religioſos, rebellant contra Zeloſos Epiſcopos in Europa; perſequuntur, incarcerant, ejiciunt è ſede ſua & exulare, deſerta petere, fame propemodum enecare ſatagunt in America: Monaſteria Monialium religioſiſſima ſub ſtultis prætextibus totaliter evertunt:

Digitized by Google

tunt: Congregationes à se de Apostolica approbatas violenta tyrannide opprimunt, dissipant, & extinguunt: Capitula canonicorum juxta priscum Ecclesiæ ritum in communi & religiose viventium in consortia quasi libertinorum convertunt: Vicarios Generales à vestra sanctitate brevibus honoratos, & pro zelo in Ecclesiæ libertate tuenda laudatos, per carnificem in effigie (dum in propria persona non possunt) publicè capite plecti procurant, &c. atque hæc omnia tam horribilia & penè incredibilia coram summis Pontificibus, & coram regibus exponuntur, & incontestabiter verificantur: & nulla prorsus eos sequitur punitio.

Jesuitæ per suum P. Annat elevant infallibilitatem Pontificiam in Alexandro VII. etiam in quæstionibus facti, usque ad punctum fidei; & nunc in vestra sanctitate per suum P. de la Chaise & Maimbourg ita illam deprimunt ut nullo possibili casu locum obtinere queat in quæstionibus fidei: & adhuc impuniti remanent.

Forte Curia Romana & ipsi summi Pontifices dignabuntur aperire oculos, & justo tandem Zelo accendentur contra istos publicos sanctæ Ecclesiæ perturbatores, quando videbunt illos cum imperatore Turcarum communi Christianorum hoste fœdus inire, simul conspirare, & in ruinam Christianitatis consilia conferre. sed nnmquid non simile quid etiam visum fuit in initio anni 1687.

num-

numquid non aſcendit ipſorum audacia ad tam horribilem impudentiam, ut ſpectante toto orbe acceptaverint ex parte magni Tartatorum Principis (qui in crudelitate erga Chriſtianos ipſos Turcas adhuc longè ſuperat) deputationem ad ſereniſſimum Poloniæ Regem, quatenus poſſent quibuſcumque mediis fœdas confœderatarum Poteſtat. ad ſummum Chriſtianitatis bonum cum Muſcovitis initum diſſolvere? hæc in Aulis Regum & publice, & in conſpectu totius Europæ geſta; & quis dicet quomodo tanta armorum potentia in fumos abierit, qua ratione Rex Poloniæ, Turcarum antea terror jam aliquot annis deſidia torpuerit; & adhuc nemo Chriſtianorum Principum, immò nec ſummus Pontifex, veſtra inquam Sanctitas, communis fidelium Pater tam perverſos & rebelles filios aliquando corripuit, dicens: quare hoc feciſtis?

Quid igitur ultra debebunt facere Jeſuitæ, S. P. ut aliquando poſſint aliquam incurrere punitionem! eritne hoc fortaſſis quando exercitibus Romam circumdabunt, ſcalas muris applicabunt, impetum facient, ut Sanctitatem veſtram dejiciant ex cathedra ac dethronizent? ſed & tam impiæ prævaricationis ſe non eſſe totaliter incapaces oſtendere præludia in Indiis contra Epiſcopos attentata, & nihilominus, ut dixi, impunita; &.quinam tandem, per Deum immortalem, tantopere obdurant animum Regis Chriſtianiſſi-

nissimi (quandoquidem ejus moderentur scientiã) ut nullo modo velit condescendere voluntati tam justæ Sanctitatis vestræ? justæ inquam, judicatæ per omnes terrarum Monarchas & potestates qui ad pedes vestros suos legatos habent ipsorum personas repræsentantes; justæ insuper judicatæ per serenissimam Gothorum ac Wandalorum Reginam in propriissima persona Vobis præsentem.

Jam dudum est, S. P. quod Jesuitæ seminant discordias inter utramque Potestatem, quod Ecclesiam Gallicanam opponunt Ecclesiæ Romanæ, & altare contra altare erigunt; quod auribus Ludovici X I V. insusurrant Pontifices Romanos beneficio temporum & gratificatione Regis galliæ in Principes temporales sese evexisse: quasi vellent dicere: Monarchiæ Gallicæ inviolabilis lex est, quod semel unita Coronæ dominia, nullo pacto ab illa possint separari; ergo donationes antea factæ S. S. Pontificibus sunt ipso facto nullæ; & si Pontifices beneficio priorum temporum exemerunt se à jurisdictione Potestatis sæcularis, infœlicitate præsertim temporum, per arma Gallica, rursum ad subjectionem poterant reduci. Hæc sunt quæ ex Ludovico Maimbourg declamavit Advocatus Regius Talon in Parlamento Parisiensi hisce verbis: numquid justum est quod ille qui jus habet ut faciat se cognosci Romæ in qualitate supremi Principis, recipiat saltem in persona Legati sui signa respe-
ctus

ctus & deferentiæ quæ debetur & dignitati suæ coronæ & personæ suæ sacræ? expergiscere tandem Romana Curia, expergiscimini Principes & Respublicæ Italiæ, jam securis ad radicem arboris posita est; hæc verba satis indicant ambitiosas Regis Gallicæ prætensiones: quid adhuc desideratis testimonium? Ecce audistis ex ore illius quid contra vestram libertatem meditetur; numquam fere simile gallicum auditur tonitru, quin bellorum inundantium tempestas subsequatur. Regius Advocatus Talon mentem sui Monarchæ aperuit, quam & hic confirmavit; vestrum erit tempestive securitati vestræ consulere, & effective providere. Ludovicus Magnus Caroli Magni Dominationem in Italia prætendit & forte propediem armis recuperare tentabit.

Sic Jesuitæ, S. P. & Curiales Jesuitici continuò exstimulant Regem illum, quem ubique (ut ibidem inquit Talon) Victoria sequitur, in cujus oratione in plerisque ferè Jesuitarum manus nimisquam visibiliter apparet. Ad quid enim ibi inserere mentionem Jansenismi, & hæresis prætensæ Michaelis Molinos, ejusdemque sanctitatem vestram suspectam reddere? posset illi breviter replicari: ne sutor ultra crepidam; sed in his non fuit nisi os & lingua miserabilium Jesuitarum, quos magnopere vereor in utroque negotio eundem scopum habuisse: Nam sicut per vafrè fabricatas 5. propositiones in se-

se

ſe juſtè condemnabiles, ad ſenſum tamen Catholicum facile reducibiles doctrinam Janſenii Romæ procurarunt damnari, ut per latus Janſenii doctrinam S. Auguſtini, à doctrina Janſenii revera inſeparabilem, arietarent & dejicerent: ſic etiam fortaſſis hoc tempore multas propoſitiones Michaëlis Molinos talibus terminis concepere quod vix à poſitionibus fundamentalibus vitæ internæ & verè ſpiritualis, à S. S. Pattibus Dionyſio Areopagita, Auguſtino & aliis, ac Theologiæ Myſticæ Doctoribus Bonaventuro, Henrico Suſone, Thaulero, Harpio, Rusbrochio ac Capucinis omnibus qui ſuper illa myſteria ſcripſerunt, quin & Alvare de Paz Jeſuita, S. Mater Thereſia, Catharini de Jenis & Genuenſi, Angela de Fulginio &c. nob s propoſitis diſtingui poſſint, ita ut per condemnationem Molinos, (quem aliqui magis infœlicem quàm nocentem autumant) & prætenſæ ejus doctrinæ, videantur voluiſſe eliminare illud parum quod reſtat ſupernaturalis operationis Spiritus Dei vivificantis expertivè intimum fundum ſpiritualium animarum: ſed quidquid conentur, quidquid machinentur, quidquid ſubdolè per ſe & ſuos efficiant Patres Jeſuitæ, Spiritus, illis frendentibus, ubi vult ſpirabit, & omnes qui ex ſpiritu nati ſunt, vocem ejus audient, licet neſciant unde veniat, aut quo vadat.

Sic Jeſuitæ in omnibus ſuis actionibus, S. P.

&

& doctrinis insidiantur Ecclesiæ: numquam papales prærogativas magis depressere quàm quando illas ad puncta fidei extulerunt, sub prætextu defendendæ Pontificiæ Potestatis ipsam pontificiam potestatem annihilantes, prætendunt Pontificem debere despoticè dominari super universam Ecclesiam, & interim si aliquis Papa aliquantulum dominationis suæ velit extendere super Societatem quarto voto Pontificiæ obedientiæ particularius subjectam, & minimam ut Jesuitæ illam divisoriè appellant, cùm ipsam reipsa super omnes Religiosorum ordines fastuosè extollant; idque efficere conetur pro bono ipsiusmet Societatis & totius Christianitatis tranquillitate: illicò ad sui protectionem, quantumvis injustam, omnes totius orbis Potestates exstimulant.

Nec verò mirum videri debet quod fortunam suam hoc tempore quasi modo indissolubili videantur Regi Galliæ alligavisse, cùm in his præcipuis mundanæ politicæ Maximis apprimè conveniant: scilicet, in turbida, quam ipsimet proditoriè commoverunt, aqua utiliter piscari, omnibus externis sese immiscere, & nullo pacto pati quod aliquis se rebus ipsorum sub quocumque prætextu aliqualiter immisceat: omnibus leges dare, & à nullo accipere: ab omnibus fidem exigere, & nulli præstare: quæ ab aliis in suum favorem quocumque pacto, & quantumvis injusto concordata sunt, tamquam camelis li-

gata,

Digitized by Google

gata, & clavis trabalibus firmata declamare; quæ ipsi aliis, quibuscunque promissionibus vel jurejurandis stipulavere, si major aliunde utilitas alliciat, tamquam fila aranearum reputare: bella non aperto marte, sed clandestina gerere: totum orbem dissidiis scindere, ac occultis cabalationibus perturbare: sacra æquè ac profana ulna proprii interesse metiri illudque tamquam idolum jugiter in oculis habere: nihil clamare quam pacem, unionem, libertatem; & nihil causare quàm bella, schismata, divisionem, & miserabilem servitutem: scribantur & evulgentur contra ipsos libri & Tractatus per quos incontestabiliter & evidentissimè per centum instantias demonstretur eorum modus agendi omnibus pernitiosus & amicis æqualiter ac inimicis proditorius; quasi confidentes Justitiæ causæ suæ qualiacumque scripta quasi deliramenta vilipendentes ne ullo quidem dignantùr verbulo responsi: & quamvis omnes videant & crebro experiantur se deceptos, spoliatos, in indignam servitutem redactos, nescio qua inconceptibili fatalitate infatuati, sic inebriantur calice aureo meretricis illius babilonicæ, ut laxatis habenis finaliter currant ad suam ipsorum perditionem ac totalem ruinam.

Jesuitæ, S.P. jam per integrum & amplius sæculum, novâ sua Theologia & perversâ Morali, ac continuis Machinationibus Romam in partes sciderunt, omnes pœne Ordi-

nes

Digitized by Google

nes infecerunt, & ubique in omnibus Regnis, dominationibus, Provinciis, Communitatibus, Monasteriis, Conventibus, etiam in Monialium Claustris schismata excitarunt, & indesinenter excitant; & tamen nemo vel semel cogitat de illis corrigendis, vel saltem in ordinem reducendis. Quandoquidem ergo nulla S. P. in ipsamet Curia vestra Romana contra tam impios & perduelles reperibilis Justitia, non est amplius dubitandum quin terras Astrea reliquerit, necesse tamen foret ad dandam vel falsam pacem orbi terrarum, & ne aliqui imposterum in simile mecum periculum incidant (quandoquidem omnia pro lubitu Jesuitæ facere possint absque nullius pœnæ formidine, & nullos ipsos de minimo talium queat reprehendere nisi velit acerbissimas Ecclesiæ pœnas & censuras incurrere) ut Vestra Sanctitas, ad instantiam ejusdem Curiæ Romanæ, pro Jesuitis, ut pote potentibus auro & argento in quo confidunt isti homines, supplicantis, Constitutionem seu Bullam publicaret, per quam daretur potentissimus campus RR. Patribus Augustæ Societatis, dicendi, prædicandi, scribendi, docendi, & faciendi quodcunque, quomodocumque, & ubicumque illis libuerit contra omnes & singulos, etiam ordines Religiosorum, Communitates &c. etiam contra capita coronata; immò & ipsum suum Pontificem: cum strictissima inhibitione sub omnibus pœnis &

cen-


Digitized by Google

censuris, tam Ecclesiasticis quàm civilibus, ne aliquis qualiscumque statûs vel conditionis contra mussitare audeat, vel uno saltem verbo indicare, quod Jesuitæ talia dicant, prædicent, scribant, doceant, vel faciant: dispensando ad hunc effectum quoscumque fideles ab obligatione cujuscumque juris naturalis, divini, & positivi, quæ supradictis videri aliquatenus possent contrariari.

Post hanc ultimam vocem, Sanctissime Pater, quam finiens Sanctitati Vestræ plures annos pro communi Christianitatis bono apprecabo; & misericordi Deo vota mea, preces & lacrymas, quin & tolerantiam præsentium & futurarum passionum offerens, imposterum gemens tacebo.

FINIS.

1 000 : 949



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


BIBLIOTECA
